





THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM
VOL. III.

THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM,

IN QUO CONTINENTUR

EFFIGIES VIRORUM AC FOEMINARUM ILLUSTRIUM,
Quibus in Græcis aut Latinis monumentis aliqua memoriæ pars datur,
& in quocunque Orbis Terrarum ſpatio ob hiſtoriam, vel res geſtas,
vel inventa, vel locis nomina data, ac doctrinam meruerunt cognoſci;

ITEM VARIARUM REGIONUM MIRANDA,
Quæ celebrata apud antiquos ſaxiſque & ære expreſſa occurrunt, omnia ex veris ſinceriſque documentis petita, & pro ſerie temporum diſpoſita;

ADJECTA BREVI DESCRIPTIONE SINGULORUM,
Quæ aut in eorum vita aut in horum proprietate ſpectabilia percipi & intelligi refert; ubi variis occaſionibus nummi, lapides, inſcriptiones, etiam auctorum loca explicantur & emendantur.

VOLUMEN TERTIUM

Memorabilia veræ Hiſtoriæ poſt Alexandrum magnum complectens

AUCTORE

JACOBO GRONOVIO.



VENETIIS,
Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXXII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISS. SENATUS.

PRÆFATIO.


NIHIL *minus opus erat , quam quum ipsa hic loquatur antiquitas , nunc quoque adaugere præfationem , unde nihil aliud cognosceres , nisi quæ reliqua erat tertia divisio , eam denique & ipsam profligatam esse . Atqui res ipsa & istud declaratura erat , & pariter meam firmam perseverantiam in detexendo , quod inchoaveram . Quidquid enim poteram in has ætates conjicere , non segniter ubique inquirens advocavi . In quo non ita versatus fui , ut temere credens pro veris omnia ducerem ; sed contra vel maxime diffidens , & ubi poteram , ad ipsorum nummorum , quos mei juris feceram , fidem singula reformando , exhiberem quam maxime & quam proxime præsentia . Quidquid ab aliis velut ad eas pertinens venditari intelligebam , inspexi , & quid in unoquoque censerem , ubi id fieri oportuit , pronunciavi , nec defugio libertatem . Id ipsum quum jam bis fuerim testatus , nihil ne nunc quidem mutata ratione laboris hujus , adeo minus in promptu est quod præmoneam . Accidit id percensenti hanc partem satis acerbum , quod primordia ejus constituentibus optimis & illustrissimis exemplis , unice natis ad proferendum imperium & laudatissime res gerendas , processus deducatur per capita paris quidem consilii ac prudentiæ , non tamen probitatis , adeo ut civilibus sceleribus & ambitioni nefariæ auctoritatem suam præbuerint , eo eventu , ut denique cum ipsis omnia paulatim egregia obrui ac sepeliri cœperint . Hinc agnoscis , sicut primi cœptus huic volumini contigerunt ab antecedentis fine , ita terminum ei constitutum esse ab ipsa necessitate , quæ ad coagmentandum plura , ut quidem nunc est , non suppeditans , cum ipsa studiorum & artium luce exstincta abrumpi etiam a me hanc operam jussit , alioquin libenter continuaturo , qui non minus me illa inescatum profiteor , quam juvenis Romanus ipso imaginum in exsequiis conspectu , quo negat Polybius* κάλλιον οὐκ εὐμαρὲς ἰδεῖν θέαμα νέῳ φιλοδόξῳ καὶ φιλαγάθῳ , *non aliud pulchrius spectaculum adipiscatur facile juvenis splendori ac virtuti deditus . Colores enim vivi licet non adessent , imaginatio poterat aliquid explere ; & solas utique frontes cum ornatu capitum vel naturali vel arcessito spectare constitueram , quas ideo exigens ad probissima & liquidæ securitatis exemplaria , hoc est , nummos ipsos restitui , ut hactenus utique haberent* πρόσωπον εἰς ὁμοιότητα διαφερόντως ἐξειργασμένον κατὰ τὴν πλάσιν , *prout imagines illas fuisse testatur idem Polybius : quum* κατὰ τὴν ὑπογραφήν , *quam similiter illic adfuisse idem notat , eas renovare extra potestatem meam foret . Quod in priore genere observavi tanto accuratius , quanto minor apparebat convenientia formarum ab Gallæo & Fabro editarum (qui tamen liber in magno bonoque pretio & sermone habetur , nobis autem*

ad manus venerat pretiosissimum exemplar, multis tabulis ab Clarissimo & Eruditissimo Caspario Gevartio, quum Romæ esset, auctum, unde notabilis emendatio harum rerum peti potuit) cum ipsis nummis, ut sæpe me tæduerit tam cæce illos inspectos agnoscere. Sed valeat in his cujuscunque experientia, nec præjudicio vel minimo quisquam nunc fatigetur, ubi inter læta omina & cum gratulatione levare tanto onere humeros contingit. Quod ut facere liceat cum ea cogitatione, quam subjicit bonæ existimationis fructus, atque etiam in spe futuri spicilegii, cujus jam statim specimen hic annexum cernes, humanitatem tuam rogo. Vale.



ORDO


ORDO IMAGINUM
HUJUS VOLUMINIS.



ΦΘΙΑΣ
PHTHIA
Eacidae Regis filia
Pyrrhi mater.

PHTHIA.



UAM partem fortunati proventus illuſtrium hominum ſæcula ab Trojano bello ad Alexandri Magni imperium in meliore orbis terrarum plaga extulerunt, vel etiam quæ æra & ſaxa alicujus hiſtoriæ in eis ac monumenti fidem ad nos conſervarunt , qua juvit quaque licuit , eam aut vultibus ſingulorum aut ſculpturis collectis recognovimus . Nec deterret laborioſa conquiſitio , quo minus hilariter æque & pari libertate aggrediar ad reliqua inſequuti temporis decora . Id vero ſi ullus , liceat loqui ſine faſcino, magno nomine illuminavit pariter in Græcia & aliis locis ; is certe eſt Pyrrhus Epiri rex anguſtæ obſcuræque patriæ ſidus . Unde mihi ſacramentum injunctum opinarer , ut ab eo ſpectando inciperem , præſertim quum & facies ejus nondum tam multis ex chartis ſpectetur , quam quidem alii eorundem temporum ſane nullo genere majores principes . Sed quum optem , ut reges & prælia canat alius ; dignam hoc principio & per illius ipſius puerperia venerabilem , ipſaque raritate (vix enim Parutæ & Seguino obvenit, nec ab aliis publicatus nummus eſt) deſiderabilem faciem matris ejus PHTHIAE ad ponenda hujus partis exordia præmitto . Eſt illa eodem apparatu caput conſpicienda , quo ex cimeliarchiis productæ ſunt Philiſtis in varias regiones tracta ; quo etiam Berytus in Theſauris Germanis : cujus velamenti notam Seguinus ad ſimilitudinem Junonis refert , longe aliter id ſpeculatus, quam alii Hiſpaniam itidem ſic velatam in nummo gentis Poſtumiæ , quod nunc omitto . Ac licet Plutarchus nihil ſingulatim de vitæ ejus aliquo exercitio aut indolis notabili ſpecimine retulerit; vultus tamen ille tantum non certo pignore decus inſigne amplitudinis aperit : ut in qua fixis & inditis ex patre Menone, laudato equitatus duce in bello Lamiaco , ſeminibus , & cum marito Æacida continuis adverſus Macedonas bellis inclito coeuntibus potuerit concipi tantus filius . In hoc enim adſentior clariſſimo ejus reſtitutori , quem poſtremum nominavi , nec ad ejus elegantiam ullo genere comparamus Harduinum in hoc capite judicantem ſpectari urbem Phthiam . Fulmen etiam illuc revocat ab altero nummi latere , ſatis frequens in Epiroticis nummis, ut notavit Seguinus , & cernere eſt apud ipſum quoque Goltzium , quamvis conſtet in aliis ſimile excudi , unde Paruta Siculis nummis attribuit . Sub capitis autem velamento utrum florida circumeat corona , an vero tria ſint monilia ex gemmis & margaritis capillo inſerta ante frontem , quorum prius occupavit Seguinum , videant alii ; certe illa ſigna in Parutæ nummo latent ,


ΔΟΚΙΜΟC


DOCIMVS HEROS
Vrbis cognominis conditor

DOCIMUS.



Jamdiu Urſino innotuerat nummus, qui ſervaret in ære memoriam Docimi urbis in Phrygia apud Geographos non obſcuræ. Unde quum alia ipſum præverterint, Faber & Gallæus vicem ejus ſupplentes ediderunt notitiam iſtam. Sic ipſius conditoris facies ſpectaculo publico expoſita eſt, & hiſtoria nummi eo modo edita, ut quid alteri areæ incuſum eſſet, taceretur. Poſt hæc certatim in inquiſitionem itum fuit, & varii nummi inventi, qui modo Cybelen cum tympano leone vectam, modo eandem ſtantem inter duos leones proferunt. Eſt qui Æſculapium exhibet, ut certa conſtanſque hæc ſit fides. Ipſius autem Docimi admodum parva cura iſtis prioribus fuit; etſi quotquot loquuntur aut cogitant de Pergameni regni principiis, id fieri nequeat ſine recordatione Docimi, ſi modo ea recte fuerint cognita. Certe iſti illum ignorarunt aut Pauſaniam, qui in Atticis [1] eum ſcribit ducatum ſum Antigono curaviſſe, ſed poſtea (ut videtur, poſt infelix Antigoni prælium ad Ipſon) ſe dediſſe Lyſimacho cum pecuniis, quas fortaſſis Antigonus ei crediderat. His rebus & condita urbe cognomine affatim ſuo tempore celebris, nunc tamen clarior eſt eunucho Philetæro, quem habuit, regni illius conſpectiſſimi inſtitutore. Itaque quum & ipſum Philetærum unus Urſinus obſervaverit ex tetradrachmo Cardin. Farneſii argenteo, ut ait Faber, idemque ab Gallæo



cælatura ſit expreſſus, judicavi hic quoque illius prudentiſſimi hominis, nec tantum inſtitutione regni iſtius ſed etiam oris ac mentis acumine apud varios auctores laudati vultum conſecrari oportere, quem vides.


1. Ανὴρ Μακεδὼν, Δόκιμος ὄνομα, ϛρατηγὸς Αντιγόνυ, Λυσιμάχῳ παραδὺς αὐτὸν ὕϛερον καὶ τὰ χρήματα, Φιλέταιρον Παφλαγόνα εἶχεν εὐνῦχον.


NEMAVSVS
Urbis cognominis conditor.

NEMAUSUS.



UIN etiam potero ſine injuria, ut ſpero, huic tempori attribuere heroa olim cognitiſſimum, certe urbis laudatiſſimæ etiam in Gallia conditorem creditum Nemauſum. Non eſt certe, quod parvi momenti in re literaria habeatur Stephanus Byzantius, etiam in lacero corpore, prout habemus, ita refertus eruditione, ut nihil ſit præſtantius ad multa, & ad hunc ipſum nomine & vultu ſuperſtitem Nemauſum. Ex eo enim, quum reliqui ſcriptores taceant, diſcimus ſtatuiſſe veteres eum fuiſſe ex poſteritate Herculis, quod ex eo deſcripſit quoque Suidas. Ut hinc fortaſſis colligi debeat, quum vocetur ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ, in præcedentia jam tempora congeri debuiſſe; quo etſi non utique filius Herculis indicetur, prout etiam prudenter cavent eruditi interpretes, ſed ex ſtirpe ejus; tamen proxime ad Herculem referendus videatur. Et potuit progenies fuiſſe ex Hercule iſtic orta, tunc quum in iſtis locis moratus cum Neptuni etiam filiis pugnavit. Sed placet alicunde ex Græcia proſiluiſſe in hanc oram, ut plerumque inde ab fabulis petitur ſedes rerum & origo; & quod notari debet, quodque unice diſcimus ex Stephano, quum temere omiſerit Suidas, auctor hujus totius rei, quem tamen nummi in hoc adjuvant, eſt Parthenius notiſſimus ſcriptor ab Mitridatis tempore, & cui placuerunt fabuloſa, ſed ut plurimum Græci fermenti, prout patet ex aliis ejus ſcriptis ab ipſo Stephano citatis, Herculem quoque ejus opus memorante. Ille igitur quum poſteritati ſic tradiderit, nec Galliæ iſtis plagis quidquam Græcum ante Maſſiliæ ætatem illatum fuiſſe conſtet; (neque enim ad Ulyſſen aut alia vetuſtiora nunc placet attendere) ſequi oportet poſt Phocæenſes iſtum Heraclidam illuc veniſſe, atque ita medio tempore inter Maſſiliam conditam & vitam Parthenii incœpiſſe poni Nemauſum, cujus memoriam idcirco hic digeſſiſſe liceat.


ARATVS
Astronomus Phænomenon Scriptor
In numismate æreo apud Fulvium

ARATUS ASTROLOGIÆ POETA.



EC ab illo tempore quidquam notius hoc Arato, qui poeticæ deditus, vel ipsa materiæ eligendæ miraculo inclaruit, ut ne dicatur artificium quo exsequutus fuit. Ex aliis enim scriptoribus peritiam nactus si non spectandi astrorum, certe prout ipsi tradiderant, de illis loquendi, longe præstantius de eisdem scripsisse laudatus fuit, quam antehac fecerant. Hinc ipsius Ptolemæi regis elogium adeptus; hinc Romani principis dignationem, ut etiam interpretando eo Latine (& plures ingeniorum principes id fecisse constat) otium oblectaret; hinc testimonium industriæ & sufficientiæ qua par esset operi, ab omnibus; & Arateæ lucernæ ubique celebratæ. Tali scilicet doctrina causam dedit, ut citaretur in divinis nostris ab altero Cilice, & quidem Athenis coram & Stoicis & Epicureis, quasi meliorem illis si non philosophiam professus, certe sermonem ejaculatus, quomodocunque intellexerit. Quin etiam sepulchri tumulum nactus, licet parvum, tamen sæpe visitatum, nescio qui natura loci (quis enim nisi ridiculus vati deposito hanc vim tribueret?) conferente aliquid ad nomen siti sæpius ab peregrinis nominandum, quum jacta in id saxa dissilire dicerentur: ad quod spectandum aut scrutandum frequentes confluxisse credibile est, non sine fausta iteratione poetam Aratum cientes. Ita quum esset ex urbe Solis, declaravit non omnes ejus cives fœdatos fuisse solœcismo. Sero igitur, quum jam transisset nomen urbis in Pompejopolin, & post hanc quoque epocham ducentos citra & amplius annos (ut literæ Chrysippo annexæ numerant) ab civibus ejus honore monetæ celebratus. Qui nummus in pias Ful. Ursini manus deveniens æternæ mox memoriæ vultum luce dignum sacravit, ut opinor, summa cum fide. Quid igitur Gallæus tantopere ab eo discessit, ut nasum cuperet facere blandiorem & recto tractu demissum, quem leniter curvatum præbuit Fulvius




hoc modo, Bellorio, cujus fœturæ est hæc major facies, amplius deviante, ut ab imo eminentior appareret. Non peccavi, spero, restituta Fulvii cura in necessario hoc loco, cujus etiam ecce verba. *Aratus, Athenodori filius, & ipse patria Pompejopolitanus, discipulus & au-*

& auditor Timonis ac Menedemi philosophorum, in mathematicis vero Aristotheri. Claruit temporibus Ptolemæi Philadelphi regis, quando Theocritus quoque Syracusanus Bucolicorum poeta floruit. Scribit Latinus Arati Interpres ignarum Aratum rerum mathematicarum, Eudoxi atque Hipparchi scripta secutum, ad phænomena scribenda se contulisse. quod confirmat Cicero in libro de oratore ita scribens. Constat inter doctos ignarum Astrologiæ ornatissimis atque optimis versibus Aratum de cœlo & stellis scripsisse. Ipsa vero Arati phænomena transtulit Latinis versibus Cicero, & post eum, Germanicus Cæsar, aliique multi qui vulgo circumferuntur. sed alia pleraque composuit Aratus, quæ non extant. Commemorantur autem a Suida. Ejus sepulcrum fuisse juxta Pompejopolin Ciliciæ, quæ prius Soli a Solone dicebatur, scribit Pomponius Mela, cujus verba sunt hæc. Juxta Solos in parvo tumulo Arati poetæ monumentum, ideo referendum, quod ignotum, quam ob causam jacta ad id saxa dissiliunt. Cui nos nihil, ut nunc est, conferre possumus, nisi indicium membranacei codicis, qui est Oxonii, de natura rerum, in quo legi hæc verba. *De Solis cursu dicunt antiqui Ingenius & Aratus solem per semet ipsum moveri. & Aratus autem dixit si aquilonium cornu lunæ sit correctius aquilone æstum imminere; item si cornu australe sit erectius notum imminere.*



THEOCRITVS
Singulari exornatur præconio quod ipsum in Bucolicis
Virgilius sit imitatus
Apud Fulvium Ursinum in marmore

THEOCRITUS.




VEL ipſa ad Aratum citata Ful. Urſini verba monent non diſſepire ab illius vicinia hunc quem ætas & inde fides amicitiæ, licet dubitante Caſaubono, in vita ei junxerat Theocritum, adeo ut iſtud jucundum & venerabile nomen carmini etiam ad gratiam & colloquii ſpeciem innecteret. Nec poteſt divina illa meditatio & paſtorii moris ſimplicitas ad ſatietatem cognoſci. Qua illectus iſte primarius in doctrina vir affectavit fruſtra vultum quoque auctoris cernere tunc, quum imagines illas & elogia ederet, ut patuiſſe opinor, quum perſonas Bacchicas ſpectarem. Itaque de Theocrito omiſſis quæ ante tetigimus iſta collegit. *Theocritus, Praxagoræ, & Philinnæ filius, patria Syracuſanus, ut ipſe quodam de ſe epigrammate teſtatur, Philetæ Coi auditor, & Aſclepiadis Epigrammatum ſcriptoris, claruit Philadelphi temporibus, quibus carus admodum fuit. Scripſit Dorica lingua Bucolica Edyllia, quæ Virgilius in eclogis imitatus eſt. Cum vero apud Græcos Moſchus etiam, & Bion paſtoritii hujus carminis ſcriptores fuerint, longe tamen illos doctorum judicio ſuperavit Theocritus. . . . Theocriti autem mortis genus indicavit Ovidius in Ibide his verſibus:*,

Utque Syracoſio præſtricta fauce poetæ,
Sic animæ laqueo ſit via clauſa tuæ.

Non ſunt his meliora, quæ habent aut Faber aut Bellorius. Sed poſt hæc ſcripta penes Urſinum fuit orbis vel diſcus marmoreus, ab Bellorio clypeus appellatus, in quo hæc imago ejus credita foliis pineis coronata, cum pinus arbor Pani velut Bucolici poematis præſidi Deo dicata eſſet, ut ſcribit Faber, nec alia habet. Bellorius. An Urſinus ipſe quoque ſic crediderit, video taceri Itaque utinam veri ſint augures! Sed certe notam iſtam non comperio in hoc vultu, quam obſervavit & indicavit ille, qui genus Theocriti ſcripſit per hæc verba: ΔΟΚΕΙ ΓΑΡ ΣΙΜΟΣ ΤΙΣ ΤΗΝ ΠΡΟΣΟΨΙΝ ΕΙΝΑΙ [1], unde iſtius hominis tempore exſtabat ut cognita Theocriti forma, iſque adſpexit, viditque aliquid ſimi in naſo fuiſſe, quod penitus in eo, qui exſtat, latet. Nec habeo, quod addam, niſi quod pater meus ad locum quem citavi de genere Thocriti, adſcripſit [2].


1. *Videtur enim ſimus aliquis faciem eſſe.*
2. Poſt voces Θεόκριτος ἐπεκλήθη: Sequitur in Fl. Ἐγένετο δὲ ἰσόχρονος τοῦ τε Ἀράτου καὶ Καλλιμάχου καὶ τοῦ Νικάνδρου. ἐγένετο ἐπὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίου τοῦ φιλαδέλφου. κέχρηται δὲ Ἰάδι διαλέκτῳ καὶ Δωρίδι τῇ νέᾳ. Δύο γάρ εἰσι παλαιὰ καὶ νέα· καὶ ἡ μὲν παλαιὰ τραχεῖά τις ἐστι καὶ ὑπέρογκος καὶ οὐκ εὐνόητος· ἡ δὲ νέα, ᾗ καὶ Θεόκριτος χρῆται, μαλθακωτέρα (MS. Rom. καὶ εὐκολωτέρα) τῆς παρὰ τ' Ἐπιχάρμῳ καὶ Σώφρονι. οὐ μὴν ἀπολιμπάνεται καὶ Αἰολίδος.


L. LIVINEIUS REGULUS
Aedilitate et Praetura apud suos conspicuus

M. ATILIUS REGULUS.



ITA quidem in iſtis & diſſitis regionibus. Sed quantus hoc & præcedenti tempore vigor urbis Romæ? Volvitur enim aut jam ceſſit illa ætas, quam tantopere extollit Livius vegetam & florentem illuſtri prorſus & copioſo animi ingeniique robore. Quod utinam quæ ille nomina potuit ex vero recenſere, ita nobis ſectari reliquias ac memorias eorundem & vultus liceret, & iſtos Alexandro vel ipſi pares ac certe non ceſſuros intueri! Sed omnia illa perpulchra tenebris æternis, niſi quas hiſtoria ab nominibus & rebus geſtis abegit, obducta ſunt; ſuavitatem oculis omnino nullam reliquerunt, univerſo tali notitiæ iſtius incremento, quale nobis cordi eſt, deleto prorſus & intercepto. Inter ſtatuas quidem Romanas ab Franc. Periero editas video tabulam Decios ipſos promittentem, ſed perridicule, quum nihil ex ea ad iſtos pertineat aut pervenire queat. Itaque ibi tantam copiam præſtantium hominum rerumque omittentibus nobis deſcendendum eſt ad claram bellorum Punicorum epocham, quam Theocritus apud Hieronem jam attigit. Ubi utinam præter baſin exſtaret quoque ipſa ſuperimpoſita Columna Duilii Roſtrata! Nam ex Auguſti nummo fictam conflatamque exponere non placet nobis. Immo utinam liceret quoque abſtinere iſto quod poſui inclito nomine M. Atilii Reguli! quum plane non ſit hujus ætatis nec gloriæ. Verum obviare oportet errori, quo ſe auferri paſſus fuit Urſinus dicam? an Gallæus & Faber. Hi enim duo certe ſunt, qui caput nullis literis notatum auſi fuerunt inſignire iſto nomine, & hinc integram hiſtoriam caſuum Atilii Reguli attexere. Urſinum ita conſuluiſſe qui credam? quum ille in familia Livineja, quæ Reguli cognomen habuit, ne meminerit quidem Atilii; & tamen illic ſpectavit hoc ipſum caput quinquies propoſitum perinde in editione illius ac Patiniana, & inter mea ludicra ſepties numeratur, etiam diſcrepante nonnihil moneta. Neque tamen dubitare licet, quin illi duo iſtinc petierint; quod ut ſolet contagio ſerpere, ita in vernacula Godfridi chronica intravit, noviſſime in editionem Flori. Sed quum hæc pravitas ſit immanis, detrecto in tantis ſordibus diu verſari, quum ſatis ſit indicaviſſe.




ARATUS SICYONIUS
Reipublicae Achaeorum Tutor
Apud D[illegible] in aereo numismate

ARATUS SICYONIUS.



ITA quum belli hujus Punici primi omnia monumenta ſint obliterata , etiam victoribus nulla memoriæ pars relicta ; quo frui licet , pulcherrimum eo tempore ſpectaculum in Peloponneſo editur ab altero Arato . Qui in ipſa pueritia paſſus inſidias tyrannorum , nunquam poſtea iis reconciliari voluit , feliciſſimo odio perſequutus omnes , pericula & patrimonii jacturam juxta ferens . Itaque etiam gnarus regum circa commoda ſua & gloriam plerumque delirantium verſandi pectora , denique & patriam & confines urbes diu & miſerabili jugo preſſas liberavit edito ad hunc modum facinore , quod Plutarchus ſuſtinet poſtremum & noviſſimum Græcorum facinorum apellare . Nec ſatis : etiam corporis membra diſſecta & diſſipata perire, quæ conjuncta & eundem ſpiritum ducentia floreant, animadvertens, complures civitates in unum fœdus colligavit, quæ antea exiguæ & fœde habitæ brevi potentiam nactæ ſunt . Nec minus tamen ſplenduit aula Macedoniæ ſub Philippo juvene , quamdiu Arati conſilia ad eum valuerunt . Unde vivo ſæpius commendata cura reipublicæ Achæorum cum ſumma dignitate , & mortuo honores magni habiti , etiam ſepulturæ loco nomen Aration amplexo . Hujus igitur caput in nummo (omnibus aliis indicto , in cujus averſa area fuerit luna cum ſtellis quinque) æreo inter cimelia Ducis Ferrariæ repertum Gallæus & Faber laudabiliter publicaverunt , cinctum diademate , ut inde majeſtas ejus & civium exiſtimatio patefiat . Quin etiam conſpectus ejus apprime convenit deſcriptioni Plutarchi , ſimulacris ejus inhærere agnoſcentis ſtatum athleticum , adeo ut iſtud intelligendi lumen vultui inſidens & regale quid non omnino ejuret voracitatem & rutrum [1] ; quod inde contigiſſe notat , quia educatus Argis apud hoſpites amicoſque paternos ſatis liberaliter , & corpore effloreſcente ad habitudinem egregiam & proceritatem , athleticæ etiam deditus fuit .

1. Επιφαίνεται δ' ἀμέλει ϗ ταῖς εἰκόσιν ἀθλητική τις ἰδέα ϗ τὸ συνετὸν τοῦ προσώπου ϗ βασιλικὸν οὐ παντάπασιν ἀρνεῖται τὴν ἀδηφαγίαν ϗ τὸ σκαφίον , *de quo Caſaubonus notavit ad Theocritum .*



AMILCAR BARCAS *CARTHAGINIENSIS*


Dux Exercituum Patriæ Prudentissimus

Apud Fulvium Ursinum in nomismate argenteo

HAMILCAR.



Ex hac æquabili plurium civitatum republica & modo inſtituta, ad ſeneſcentem & ſuperbo jugo gravem vicinis Carthaginem tranſeuntes, bellicoſiora quidem Arato ejuſdem temporis ingenia, ſed libertatem minus intelligentia ſpectemus. Hæc enim quum & iſto bello prorſus victam exhauſtamque ſe etiam fuerit confeſſa, & præ deſperatione confugerit ad pacem, unus tamen civis ſe nec pro victo habuit nec deſperavit. Is erat hic Hamilcar Romanorum virtuti unus par, niſi coactus fuiſſet obſequi & cedere tempori, quam ſapientiam ejus laudant ſane ſcriptores. Qui ſi deinde potuit ipſum quoque tempus vincere, & huc uſque permanere, recte eſt. Ita quidem firmus ſcribit & opinatur Faber argentei tetradrachmi fide, quem poſſederit Petrus Contarenus, ex literarum Punicarum indicio, quod neſcio quis aperuerit, facta adſeveratione. Et ne de hac re dubitetur, affirmat hanc imaginem convenire illi, quæ mox ſequitur, & cum altera gemma, cui inciſum ſit ſacrificium, in quo pater jurare juſſit filium Hannibalem. Ex his poſterius ſpecimen ignoro, nec memini vidiſſe. Prius ex manu Cl. Gevartii nunc exhibeo ad amuſſim: nec tam acutum cerno, ut inter hunc vultum & qui illic jam virilis exſtat, appareat tanta ſimilitudo. Quin tu confer hoc caput cum Pyrrho, quem Gallæus & Faber publicarunt, vel cum Autoleonte utriuſque Theſauri, animadvertes lanuginem barbamque eandem, galeam ſimiliter in fronte depreſſam, etſi diverſa fabrica, & diſſimiles ſint naſum. Itaque liceat mihi cavere, ne in hoc Hamilcare confidentiam Fabri ſequar. Literæ quid dictent, exponat alter.


AMILCAR et HANNIBAL
clarissimi duces.

HAMILCAR ET HANNIBAL.



SED ecce ipſum illum Martem, & quaſi is unus non ſufficeret ad erigendam & rurſus ſolo alliden-dam Carthaginem, Hannibalem quoque Hamil-caris filium. Pater anxius curis de patria exangui & ab Romanis non ſuppreſſa violentius, quam injuſte ac per temporis inſidias etiam mox ſpolia-ta. Filius ille ipſe, in quo Hamilcarem juvenem redditum ſibi veteres in Hiſpania milites credere poterant, etiam eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris linea-mentaque intueri. Itaque quum Jo. Faber in commentario ſigni-ficaſſet ſervari hanc gemmam (cameus illi vocatur) in qua patris & filii vultus inſculptus eſſet, Cl. Gevartius inquirendo ubicunque eam reperit, & chartæ Illuſtribus illis Imaginibus agglutinatæ cre-didit, ſubſcriptis verbis *Apud F. Urſinum in gemma*, ab cujus exem-plo hanc ſatis pretioſam tabulam exhibeo, cujus veritatem hinc quoque commendat Faber, quoniam inventa eſt in agro Peruſino prope lacum Thraſymenum, ubi Hannibal tetendiſſe & commo-ratus fuiſſe oculo amiſſo legitur, unde etiam ſuſpicatur forſan ip-ſius Hannibalis fuiſſe. Conſpicuum enim certe & notabile iſtud capitis virilis velamentum; quod etſi ſcribat Faber uſitatum regio-nis iſtius hominibus, idque marmora nonnulla aliaſque gemmas anulares teſtari, nondum tamen mihi illa aliqua obvenerunt, quum longe alterius figuræ ſint illa capitum Magonis & Dionyſii tegumenta; niſi dicamus ea pendula ob quamcunque cauſam, hoc jam circumvolutum ex more urbico. Itaque quod omnino ob-ſervari oportet, hæc facies longe plenior & denſior & teretior, quam illa præcedens, tenuis & oblonga; & hinc dignior, quæ Hamilcarem exhibere putetur. Quin etiam quum in hac habeat filium ad latus, videtur Hamilcar iſte cogitari debere poſt com-preſſos Africæ motus jam feſtinans verſus Hiſpaniam, ut ad indi-gnitatem ereptæ duntaxat Sardiniæ demendam & aucta inique tri-buta recipienda cives ſuos & vires pararet. Ubi certe continuis victoriis, hoc eſt, quotidiana lætitiæ & ſuæ & ob patriam cauſa beatus vix poteſt ſupponi amiſiſſe tantum corporis, ut tam maci-lentus illic perierit, qualem iſta galeata facies præfert. Itaque of-ferat ſe oculis iterum verus Hamilcar cum majore filio etiamnum puero.


HANNIBAL
rerum gestarum gloria
ubicunque clarissimus


HANNIBAL.



Hunc enim in eo ſpectare potuerunt Gallæus & Faber, ſed jam virum & magnis experimentis admirandum. Ut ita crederent, induxit eos teſte poſtremo Petrus Contarenus, quia literæ peregrinæ ante vultum exprimunt nomen ejus. Fateamur ſane. Utique tamen nonniſi hactenus id in Hannibale noſtro agnoſci poteſt, ut tamen longe alium in ima parte advertamus eſſe naſum, qui in puero ut & patre illic rotundus, obeſus & denſior apparet, quum hæc egregie procedat in acumen productius, quam in parte, ubi capiti adhæret; quem productiorem adhuc facit gemma hæc Theſauri Palatini, cujus quæ fides, ut inſcribatur Hannibali? Utique ſimiles



facies occurrunt multæ, & ſunt omnino quotidianæ; nec e crinibus ad Jubam accedentibus ſtatim exit Hannibal: ut ſane hic tam verus ſit Hannibal, quam ille coronatus eques in nummo Tarentino alterius Theſauri. Equidem ſi tali barba oneravit caput, quæ in dies mutari nequit, dubito an ſoli appoſiti capilli adeo confundere potuerint lineamenta vultus, ut Gallis inſidiantibus non eſſent agnoſcenda. Quum vero Polybius hanc ejus fallaciam fuiſſe dicat, ut capillicia variis ætatum gradibus congrua cum ſimilibus veſtibus ſumeret, ut modo ſenex, modo mediæ ætatis, modo alterius appareret, certe hinc ſupponere videtur iſte ſcriptor barbam ab eo nullam geſtatam fuiſſe. Certe ut nunc eſt, non alium videor videre Hannibalem, quam ab Gevartii elegantia ſuppeditatum, cujus propterea beneficii illum eſſe jubeo.



M. CLAVDIVS MARCELLVS
consulatibus quĩque et syracusarũ expugnatione clarus

M. CLAUDIUS MARCELLUS.




NIHIL tempeſtivius erit, quam ut iſtum Pœnum imperatorem ſequatur hic maximi animi vir, quum vivus quoque poſt graviſſimas clades & ſuſtinuerit eum primus & fugaverit; hunc tamen ludum edente fato, ut ex quo primus adverſæ pugnæ gloriam ceperat, in ejus laudem poſtremus Romanorum ducum ceciderit. Felix tamen Marcellus, quod ea rerum geſtarum pars, quarum ſignificationem habet hic ex nummo clypeus, vivat in T. Livio, Siculæque ejus expeditionis magnifica facinora hodieque ſplendeant. Atque utinam illa veritas & ſimplicitas Livii quoque placuiſſet ad æmulationem his cælatoribus, & tam liquide ſpectaretur facies ejus, quam cognoſcitur geſtorum ordo! Verum ex quo in Fulviana Familiarum Rom. editione conſpicuus receſſus confinia frontis & naſi diſtinxit, eumque ut inter grypos eſſet incurvat, placuit Gallæo eandem culpam admittere, unde hoc exemplum peritum. Id vero conatus fuit corrigere Patinus, modo non frontem nimium multis capillis oneraverit: certe enim ſenior videtur, quam ut illi conveniant; macilentus etiam magis, velut exſtante plurimum maxilla. Tanto cupidius ex meo nummo hunc Marcellum hic



locavi, ut iſte optimus vir, ille tam hilaris & conſtans bellator, ille militis acuendi mirificus artifex atque etiam ſeverus liquide ex vultu prodat iſtum animum. Sed etiam quum ipſum Jovis Feretrii templum ab altero nummi latere ita exprimant Urſinus & Patinus & cæteri, qui inde exceperunt exemplum (quod fere factum eſt ab omnibus) quaſi id templum florente jam Roma extructum eſſet, aut quale Auguſtus repoſuit: hunc quoque conſpectum, hoc eſt, alteram rerum inſigniter ab Marcello geſtarum memoriam adjunxi. Primo enim nimis patet in latum, quum ille Jupiter anguſta æde contentus fuerit. Ipſum Marcellum ſic immittunt in ædem, ut alteram columnam preterierit, & quiſque totam eam ſpectare poſſit, quod vides ita non eſſe. Columnas illas exadverſum producunt ad ipſum ſolum, & quaſi opima illa porrigeret trans aram: quæ ſunt omnia male ficta, & in-

dicia nummi non ad Romanum morem ſpectati. Nam Marcellus eſcendit primum gradum, & tres gradus etiamnum eſcenſurus ſpolia obliquat, ut commode templum non altum introeat. Illos autem tot gradus eſſe docet longitudo columnarum, quæ ad tertium quem dixi altiſſimum gradum innituntur ſolo ipſius templi. Sed & ipſum Marcellum amiciunt veſte neſcio qua, non Romana certe, ſed barbara, ut capite aperto dextro latere nudo Deum ſalutaverit, quum manifeſte id facientem exhibeat nummus capite velato in tunica palmata. Ne quid omittam, literas cogunt migrare, & quum in nummo certe meo Marcellus aſpiciat ſuum cognomen, illi hoc rejecto ad tergum cogunt aſpicere indicia honorum. Hæc ſpectant ad antiquitatem, & multis illuſtrari poſſent, quam iſti illepide obſcurarunt.


ARCHIMEDES SYRACVSANVS
Mechanicus et Astrologus

ARCHIMEDES.



HUNC tamen Romanis artibus callentem ducem & vires ejus prævalidas egregie deluſit minimo momento iſte ab Syracuſis machinator incomparabili aſſiduitate ita lineis ducendis adſuetus, ut non balnea, non diſcurſus militum in expugnata patria & imminens mors inde potuerint amovere. Unde laudanda eſt felicitas Parutæ, cui ſoli contigit hunc vultum memoriæ antiquæ reſtituere nequaquam cedens Tullianæ, quum ejus ſepulchri locus rurſum Syracuſanis monſtraretur. Eſt enim certe dignus viſu hic unicus quidem ſpectator ſiderum, prout merito deſcribitur in Patavinis chartis, & innuere videtur quoque



altera nummi area lunam ſtellaſque exprimens, ſed memorabilior in hiſtoria per machinas, quas munificentia regis Hieronis adjuvante inauditas commentus armaverat quoque ipſas Syracuſas; quo reſpicere videtur alter nummus rotam (quæ ut oculos paſceret, omnes ex Paruta huc tranſtuli) Archimedis commemorans, cujus circumactæ violentia ſecum omnia volvebat, certe ſambucas Romanas riſu excipiebat: niſi cuſtodiat formam ſphæræ Archimedeæ, quam ingenio ſuo ornavit Claudianus. Et ſane apparet caput, præterquam quod grandia membra præferat, & imberbe ſit ex conſuetudine Sicula ſub Hierone & ipſo non barbato in nummis, refertum miris meditationum, ad quas omnem externi vultus ſpeciem revocat, curis & imaginibus; ut earum ſi aliqua vel enodaretur, vel aditum explicationis oſtenderet, potuiſſe videatur vel nudus tamquam in ſolitudine de ſolio balnei domum verſus currere ad profligandum penitus id quod inchoaverat, prout accidiſſe narrat Vitruvius in argento furtim & latenter immixto aureæ coronæ.




P. CORNELIUS SCIPIO
nunc Hispaniae postea Africae victor
cum Allucii Hispani patre.

P. CORNELIUS SCIPIO.



SED præcipuum belli iſtius fulmen fuit, gloriamque omnem ad Romanos avertit P. Cornelius Scipio poſt patris patruique mortem mirabili conſtantia ſe imbuens ad vindictam, quam niſi ſe duce impetrare nequivit. Quum enim infauſto prœlio ad Cannas & forſan aliis diſcriminibus magis laborioſe quam feliciter exercuiſſet virtutem, denique ad Hiſpaniam recuperandam miſſus, conſiliis, ſapientia, diſciplina & moderatione principem ſe ſuper omnes exhibens brevi gentilicios manes ab fraude & tyrannide Punica liberavit. Intra iſtius enim expeditionis ſtipendia conſiſtit hæc auguſta ejus majeſtas facieſque, quam quum non temere credulus in vanum apud alios nimium jactabundos quærerem; uni Jac. Sponio judicavi gratias deberi, reſtituta hac veneranda facie ex incomparabili monumento clypei argentei ante annos in Rhodano prope Avenionem reperti. Frequens quidem opinor Romæ exſtitit cuſtodia hujus ſereniſſimi vultus, & præter teſtimonium Valerii Maximi de annulo filii multa exempla memorat Jo. Faber. Sed quum omnia tantum verbo tenus nota ſint (niſi Gabrieli Simeoni fidem habeas inter ornamenta Cæſiæ magnificentiæ teſtanti fuiſſe etiam caput hujus Scipionis) hic eximius clypeus ex vero eum ſervavit, de cujus veritate tanto minus dubitabit, qui meminerit verborum Livii XXVIII, 35. Maſiniſſa *ſubſtituerat animo ſpeciem quoque corporis amplam ac magnificam: cæterum major præſentis veneratio cepit: & præterquam quod ſuapte natura multa majeſtas inerat, adornabat promiſſa cæſaries habituſque corporis, non cultus munditiis, ſed virilis vere ac militaris, & ætas in medio virium robore.* Quæ certe cuncta illi adſunt, unde etiam detegitur vanitas conatus illius, quo P. SCIPIO AFRIC. argento incuſus eſt cum literis areæ alterius CART. SUBAC. triumphantem oſtendentis. Eſt enim vultus plenus perfidiæ, editus ab Gorlæo inter omiſſa, ſed plane non æquans ſpeciem, & gratiam, quæ eſt in ipſo argento. Itaque ſedet Scipio ornatus more Heroico, nuda ſuperiore corporis parte, limo inferiorem tegente, qualem Homerum vidimus; habetque haſtam prorſus ſimilem Marci Antonini in Columnæ tabula 7; & ſuppedaneo fulcitur, quale frequens occurrit in nummis. Jam juvenis juvenem appellarat, eique ſponſam conceſſerat; *parentes inde*, ait Livius, *cognatique virginis appellati*. Quem geſtum cernis jam excerptum ex nobiliſſimo iſto clypeo, qui neſcio an recte ab Clariſſimo viro conſideretur votivus. Etſi enim prima fronte ſic videatur ex ipſo argento; tum noſſe oportet, quid ſcripſerit non nimis diu poſt hoc tempus Varro apud Nonium: *Tela dextra vibrant, ruſſaria emicant, atque inſignibus Martis torques aureæ, & ſcuta cælata Hibero argento gravi crebra fulgent.*

Unde apparet in ipſis præliis adhibita fuiſſe talia. Alioquin haud diſſimile illud Marianum ſcutum Cimbricum, ſub Novis, in quo pictus Gallus diſtortus, ejecta lingua, buccis fluentibus apud Ciceronem lib. II de Oratore. Etiam Plutarchus agnoſcit ſcuta Gallorum auro & argento ornata [1]. Quum vero id notabile argentum ex Rhodano ſit eductum, meminiſſe oportet teſtimonii, quod Sertorio tribuit Ammianus Marcellinus XXIV, 6. *Et miratur hiſtoria Rhodanum arma & loricam retinente Sertorio tranſnatatum.* Is fortaſſe potuit & clypeum habuiſſe, qui quocunque caſu remiſſus & merſus ibi tamdiu latuit, etſi id affirmari nequeat.

1. in Cajo Cæſare pag. 721. Θεασάμενον ἄρα κατ' θάτερα μέρη πολλὰς μὲν ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ κεκοσμημένας θυρεὰς.




ALVCCIVS HISPANVS
ſponſâ ab Scipione donatus.

ALUCCIUS.




HISPANUS senex adjunctus est Scipioni, quoniam in clypeo cum eo colloquitur, ut sic appareat gestus. Quid vetat igitur conspicere pariter Hispanum alterum, quem amore captum propius tetigit universa hæc historia, illum principem Celtiberorum adolescentem, nomine Aluccium (prout in Puteaneo Livii codice edebatur id nomen, procul dubio verius, quam quod editiones obtinent *Allucium*) cum sponsa sua respicientes ad Scipionem aut alterum Hispanum senem, qui dum Scipio alterum, fortasse ipsius puellæ patrem, admonet, se interponens hunc Aluccium ut videtur, filium suum (an fortassis hanc denotationem singulorum potius invertimus ?) alloquitur ita, ut videatur prædicare beneficium Scipionis. Quod agnoscens ille amplectitur tenetque, ferme defixam insperato & immenso gaudio, & nostro tempori præbet spectandam non modo adultam virginem adeo eximia forma, ut quacunque incedebat, converteret omnium oculos [1]; sed etiam vestis morem, qua regia virgo erat amicta. Nec est, quod addi a nobis debeat, quum omnia sint ab auctoribus ad liquidum enarrata, nisi quod quum spatium chartæ nudæ permittat, operæ judicarim esse ipsum clypei exemplum huc quoque adfigere, quod ad tenujorem formam



contractum tale est. Et ut omnia Scipionis hujus attendamus, Jo. Faber in commentario memorat gemmam, (Niccolum Italis vocatum) quæ ætatem præ se ferat juvenili nonnihil grandiorem & velut maturam. Hæc etiam creditur illi facta, quum ipse in Africa bellum gereret, in pectore habens Serapidis imaginem, qui idem fuerat Jovi, cujus filius fuisse credebatur Africanus, perinde ut ob parem historiam in pectore imaginis Alexandri Magni caput Jovis Ammonis positum videtur. Eam ipsam, quum exceperit penicillo Cl. Gevartius, addendam quoque existimavi quam accuratissime potuit fieri. Quamquam quum ea omnia conjiciantur ex ratione similitudinis, certe eam nullam fuisse colligi oporteat vel ex naso, qui in hoc vultu longe alius est, & tota quoque habitudo Scipioni in clypeo est robustior, ut in ea nihil, ut nunc est, pronuntiare malim.


1. Prout describit Livius interpretans hæc Polybiana: παρθένῳ κατὰ τὴν ἀκμὴν καὶ κατὰ τὸ κάλλος διαφερούσῃ τῶν ἄλλων γυναικῶν.


P.CORNELIVS SCIPIO AFRICANVS.

P. CORNELIUS SCIPIO AFRICANUS.




EC ſic tamen ab excellenti iſto Scipione, quem toties & tanto opere veneratur Cicero, abire licet; quin ſicut ſpectavimus eum genuinum & non inficiandum, arceſſamus quoque huc effigiem, qua ad præſentem uſque diem ſolati fuerunt ſpem ſuam viri docti. Hanc enim in marmore apud Ducem Aquæ Spartæ, ut ſubſcripſit Gallæus, vel petra nigri coloris, ut deſcribit Faber, olim Literni inventam, ubi in villa exſulaviſſe aliquamdiu moxque mortuus fuiſſe traditur, exiſtimat idem Faber. Sed non ſi illic reperiatur caput, id propterea eſt hujus Scipionis, etiamſi monumentum illic habuerit, monumentoque ſtatuam ſuperimpoſitam. Faber tamen ſe vindicat inde, quod quum hæc imago ſenilem exhibeat ætatem & raſos capillos atque barbam habeat, attribuenda ſit huic Scipioni ex Plinio 7, 59 notante: *Primus omnium radi quotidie inſtituit Africanus*. At ille locus agit de ſecundo Africano, ac decipit ſe vir bonus, dum vocem *ſequens* non attendit. Quinetiam unde priori Africano tanta ſenectutis ferme extremæ indicia, quibus vita ejus vix reſpondet? ut qui Hannibale bellum inchoante A. V. C. DXXXV ferme fuerat prætextatus, fuerit mortuus circa annum V. C. DLXV aut DLXX, vix intercedente ſpatio annorum XXXV: ut hinc omnino refutetur illud caput, cujuſcunque fuerit, certe ab Scipionis nomine, & Liternini prætoriis dedicatum perinde in turba villaticorum lateat ac Titus Livius Halys Patavii inter numeroſæ illius gentis ignotas appendices. Quod ſi lubet poſt tam multa jam dicta tamen penitius ſcrutari, & nobiliſſimo nomini officium præſtare non indebitum; ſane dum attendo, videtur mihi iſtud caput, cujus pectus ab Serapi tegitur, eſſe omnino L. Scipionis Aſiagenis. Nec temere a me decerni dicas, quum pro fundo afferam verba Capitolini de Gordiano, quæ ille apud Vulcatium Terentianum exſtare ſcripſit: *Nepotem autem* Gordianum tertium, *cujus etiam nunc videmus imagines, Scipionis Aſiatici faciem retuliſſe*. Ut enim inter nummos hujus & iſtam faciem ſit diſcrimen, quod mirari non oportet, quum alia fuerit ætas Gordiani in juventute mortui, alia Scipionis hujus ultra ætatem conſularem progreſſi: tum ſane id quidem non eſt tam grande, ſi modo naſus in ima parte eſſet paulo ſpiſſior, qualis eſt in Gordiano juniore. Etiam quælibet ſimilitudo habet ſuam diſſimilitudinem.


Q CLAVDIA
Virgo Veſtalis

Q. CLAUDIA VESTALIS.




UIC etiam tempori obtigit iſta facies, religione velamenti demonſtrans ſe apud Romanos venerabilem, quo Veſtalis Virgo exornari ſolebat. In illa enim ſubolem gentis Claudiæ fuiſſe poſtquam ex Urſini indicio pronuntiavit Faber, Lipſius aliique libenter crediderunt. Scilicet illa gens fuit, ex qua tres Virgines Veſtæ datas collegit in unum locum Suetonius, & ab unaquaque editum facinus faſtis & annalibus annotatum. Faber itaque credit eam amethyſto inſculptam a quopiam gentis Claudiæ geſtitatam in anulo fuiſſe in memoriam hujus Virginis, quæ quod ſola digna fuiſſet inventa ad Matrem Deum Romæ inducendam, ſummam nominis celebritatem eo populi Romani (etſi tale fuiſſe non legam, ſed magis numinum ipſorum) judicio conſecuta eſt. Lipſius ubi auctoritatem Veſtalium maximam fuiſſe oſtendit, ſcribit inter exempla eſſe Claudiam Veſtalem, quæ fratrem injuſſu populi triumphantem (hoc alterum facinus ab Suetonio memoratum) adſcenſo ſimul curru uſque in Capitolium proſecuta eſt, ne vetare aut intercedere cuiquam Tribunorum fas eſſet, ibique hanc faciem ex Urſino juſſit appingi. Sed & hoc ipſum ab Urſino adducitur ad gentis Claudiæ tabulam ſecundam, verum Patino priora apponente. Utrumcunque hoc ſane dignum gemma & ſculptura facile credam; ſed nullam nominis Claudii probationem in his video, præſertim quum vel ſtatuæ vel capita Veſtalium relicta ſint poſteris complura, & quædam ab Lipſio collecta, (primariam quis non animadvertit in Miſcellaneis Sponii pag. 150 Juniam Torquatam?) difficilia prorſus ad deſignandum certis nominibus, quæ in ipſis lapillis inciſa non ſunt, quod de hac utique non teſtantur, ut totum id fidei aliorum commendari tutius ſit.


NASSICA
P.CORNELIVS SCIPIO NASSICA

P. CORNELIUS SCIPIO NASICA.




QUI quidem adeo innexus eſt huic migrationi nigri ex Peſſinunte lapidis, ut ejus meminiſſe nullus queat, quin ſimul hoſpitem, quem primum Romæ elegit, ac cujus domum inſtar templi in ingreſſu habuiſſe voluit, audiat commemoretque. Eum teſtatur hiſtoria fuiſſe Naſicam altero cognomine inſignitum Scipionem, propterea optimum civitatis virum teſtimonio univerſi ſenatus incredibili confeſſione cedentis creditum. Hiſtoriam profecto dignam, quæ ſicut chartis, ita ære quoque & marmoribus frequens conſpiceretur; ut mirum non ſit in ea defixos fuiſſe tot præclaros viros, quum nomen Naſſicæ incuſum nummo cernerent, velut compulſos ad nobiliſſimum monumentum decurrere, & probabiles ad id colores circumſpicere, vel literis ipſis eos judicio Jo. Fabri præbentibus. Sed nuperrime Cl. Vaillantius detexit hunc nimis abſurdum errorem, & caput eſſe Auguſti docuit, quicunque etiam adhibeatur artificii modus ad capillos demittendos verſus cervicem. Ille Auguſtus eſt, cui Naſſica Calagurris Julia colonia hoc pacto honorem habet, quum & ab Inſcriptionibus ipſa urbs ita cognominetur, & eoſdem Calagurritanos etiam Naſſicos appellatos doceat Plinius. Propterea ad numerum quidem ſupplendum potuit adjungi hæc tabula; ſed Naſſicæ Scipionis vultum plane ignotum eſſe & vel penitus interiiſſe vel obſcuritate & ſitu obſitum ignorari crede.


CHRYSIPPVS
Stoicus Zenonis, et Cleantis in schola ſucceſsor
Apud Fulvium Vrsinum in numismate æreo.

CHRYSIPPUS.




AMDIU interim philoſophiam ac ſtudia diligebat Chryſippus, & ita, ut poſtquam inceperat amare, ne regiis quidem precibus aut promiſſis ab incepto ordine diei diſponendi ſe avelli pateretur. Sed quum nonniſi ſenis conſpectum (& ſi modo hunc tamen) indulſerit nobis vetuſtas, qui in hos annos incidit, nunc ut locum memoriæ ejus demus, rerum ac temporis ſeries flagitat. Atque utinam plena illa quondam omnia hujus gypſo unum utique ab Juvenalis tempore ad nos certum permiſiſſent, & inter tot laudationes hujus aurei nominis, tot teſtimonia laborum, tot advocationes ſcrutationeſque & explicationes ſententiarum ejus faciem quoque ipſam integram nomini appoſuiſſent! Digna utique illa erat, quam vel aureus Pegaſus continuo oſtendiſſet famæ, quum nota ſit ejus aſſidua ſibi ac ſtudiis operantis ſedulitas paſſimque ſcripta; ut quid illa repeterentur? Sed nec illa Attica ſtatua ſedentis in Ceramico, & quidem porrecta manu, ut ab geſtu ejus ratiocinari incipiat, audit ſuperſtes; nec aliæ, in quibus vidit Sidonius Apollinaris Chryſippum digitis propter numerorum indicia conſtrictis, prout civem ejus Aratum panda cervice factum notaverat, uſpiam reperiuntur. In hac inopia gratulandum tamen, quod ex officina monetaria Pompejopoleos venerit in Europam ac perennaverit nomiſma eruditis capitibus inſigne, quod non dubitavit ſtatim edere Urſinus, ac ſequutus fuit Goltzius, ſed deſtituente Nonnio fere quotquot attigerunt iſtam antiquitatis partem, gaviſi quoque fuerunt ſpectare iſtud æs, & vultus illos novis chartis monſtrare: quos ſi quis junctim inſpiciat, magnam advertet licentiam. Sed & hoc ipſum caput, quod vides, ab Gallæo publicatum, repetitumque ab Bellorio plane non eſt ad fidem Urſini, qui certe non ita calvum expreſſit, quin vertex bene eſſet veſtitus: etiam manu labiis propinquiore, etiam riſus quadam venuſtate admixta. Hinc ſpernas licet iſta poſteriora, quæ ad priſci æris fidem ducta non ſunt. Solam ab Fulvio editam faciem pro vera haberi oportet, quam hic ſubjicio. Chryſippum primus ſuſpicatus fuit Voſſius in obſervationibus ad Melam, & quum cerneret duas facies, procul-



dubio eſſe Arati ſcribit effigiem dubitans, niſi potius Chryſippi philoſophi eſſe exiſtimemus; quem deinde alii ſtabilire conantur, atque


etiam ſimiles Chryſippos proferre ; quorum aliquem hunc eſſe judicat interpres Theſauri Palatini, cui etiam tertium addit Theſaurus alter ; unde propediem ſperare fas erit Chryſippum ſub ſorite ſuo luctaturum . Nobis igitur unum expreſſiſſe ſufficiet . Hippocraten certe , prout extulit Gallæus , ab Chryſippi vultu non nimium abeſſe cernas.


T. QVINCTIVS FLAMININVS
Graeciae ab Philippi iugo liberator.

T. QUINCTIUS FLAMININUS.




Quod ſi unquam bene formata Romanæ diſciplinæ indoles tranſgreſſa in Græciam, ſed exoleſcentem jam & perire quaſi cupidam, omnes virtutis implevit numeros, ejus utique ſpecimen eſt in hoc Flaminino Quinctio. Ita illud bellum Macedonicum non fuit unius formæ, ſed quodlibet expeditionis fere momentum novam attulit experiendi undique materiem. Quæ iſta præceps ſane, ſed neceſſaria & prudentiſſima per Epiri fauces irruptio! quam opportuna & ex uſu præſenti commodiſſima teſſera, ut cibi quietiſque mutarentur tempora! quæ inde ſapiens animorum in Græcis conciliatio! quanta agilitas & promptitudo in pugnando, quanta in colloquiis familiaritas, & tum in abſurdis jocis laſcivientium, tum in opprobriis Ætolicæ ferociæ tolerandis non lenitas, ſed prorſus paterna admonitio. Talis nimirum debebat eſſe, qui mentes Græcorum nunquam non priſtinæ fortunæ memores armis Romanis conciliaret. Itaque omnia provenerunt feliciter, & optabile præconium in ludicro Iſthmiorum auditum eſt libertatem publicam Græcæ genti reſtituens, cui tam atrox incubuerat Macedonica dominatio. Nec minus exangui Nabide relicto Peloponneſum quoque pacatam incolis reſtituit; atque ita ex Græcia deceſſit, ut pietatem ei majorem præſtiterit factis dictiſque, quam vix ab ullo cive contingere poterat; certe regioni illi nutriendæ ſe forte quadam datum veriſſime cecinerit. Hæc omnia videntur elucere in iſta vultus tranquillitate, quam ut honore vario, ita & ſtatuis decoratam fuiſſe facile credimus Plutarcho. Ex quibus quum præter hanc nihil nobis relictum ſit, adoranda prorſus eſt benignitas Ful. Urſini iſta ſua ubertate publicam inopiam conſolantis. Cui ut & ipſe pro more noſtro ſubveniam, non dubito indicare, ad hunc T. Quinctium Flamininum pertinere præclarum nummum ab Urſino &





Patino jam editum in gente Quinctia, ſed ubi iſti longe alia aut nihil loquuntur. Iſte autem nummus poſſet quidem ex nominis convenientia referri ad T. Quinctium Pennum magiſtrum equitum, de quo Livius fine libri VI. Sed plane pertinet ad noſtrum Flamininum, cujus victoria vel laureatæ literæ per duos equites ut ſemper haſtatos Romam deferuntur. Id unice docet ſuppoſitus clypeus, qui eſt ipſe Macedonicus, notiſſimus ex nummis Antigoni.


CARNEADES CYRENÆVS

CARNEADES.




CCE caput multis & non tralaticiis narrationibus pernotum. Non enim modo ſæpius helleboro repurgatum, præſertim quoties Chryſippeis animum adjiceret; ſed etiam ita addictum doctrinæ operibus, ut cibi cauſa recumbens & cogitationibus inhærens, manum ad menſam porrigere oblivisceretur. Ita ſuſtinet de eo ſcribere Valerius Maximus, ſolam laudem ejus habens propoſitam, ſed ipſo poſtremo verbo referens quaſi comicum ſenem, quem oblivioſum & diſſolutum interpretatur Cicero, non aliter ac ſi etiam in re præſenti peregrinaretur, immo nec capillos nec digitorum extrema adſpicere aut ad oculos pertinere pateretur. Quid mirum igitur, ſi ſemel ex patria Cyrene egreſſus, nunquam cogitaverit illuc reverti? Hæc tamen omnia prætextu ſtudiorum elata decantataque ſunt ab Graiis, præſertim quum & facundia ejus defigeret homines, & meditationes non ſine venuſto ſermone, tum & conceptu animi ignem quendam ſpirante in notitiam prodirent. Hinc iſte Carneades tantopere inhæſit Tullio Ciceroni, velut ex eo aurum continue legiſſet, perinde ut ab Clitomacho factum narrat ad conſolandos captivos cives ſuos Carthaginienſes. Hinc igitur etiam nobiliſſimus ætatis ſuæ philoſophus ab eo appellatus, ut & morem, quem acutiſſime copioſiſſimeque tenuiſſe Carneadem teſtatur, ipſe in Tuſculano optaverit imitari. Et quam dulce, quam molle eſt, quod ait a ſede ipſa, ubi imago Carneadis fuerat, tanta ingenii magnitudine orbata, deſiderari illam vocem ſe putare? Denique multa paſſim & honorata Carneadis mentio, cujus propterea hanc faciem veneramur, notas aſſiduæ meditationis mirabiliter expreſſas in fronte gerentem, quæ ut vergit in ſenium, ita nondum ſenilis eſt, operta etiamnum capillis, & Jo. Faber non ita grandem natu referri ait. Veritatis fidem præbent literæ pallio inſcriptæ ΚΑΡΝΕΑΔΗΣ, ut teſtatur idem Faber, ſed nec ipſe curavit incidi, nec qua parte ſederint, fatetur. Eademque fides ut ſit firmior, momentum addit Bellorius in Farneſianis ædibus hodieque



exiſtere teſtatus, & in pallio nomen inſcriptum idem haberi; quod tamen nec ipſe in ſuo loco conſpiciendum lectori præbuit, aut in-

dicare voluit, qua parte ſitum eſſet. Quam alteram imaginem exſtare apud Fulvium ſcribit Jo. Faber, qua decrepitus jam & ætatis ſeneſcentis exhibetur, hoc eſt, annorum XXCVI vel XC, quia Cl. Gevartius eam nobis opem tulit, hic libenter annecto. Sed & altera ab Achille ſtatio vulgatur ex hortis Cardinalis de Medicis prope villam Julii III Pont. Max. cum inciſis baſi vel pectori literis ΚΑΡΝΕΑΔ ΦΙΛ|Ξ|ΚΩΝ ΚΥΡΗΝΑΙ|Ξ|Σ. Ac niſi fallor, etiam Boiſſardus VI parte pag. 41 eundem Carneadem oſtentat, prout gemmas etiam nuper alii in ejus memoriam traxerunt, quarum poſſeſsionem conjecturis relinquo.


CATO MAIOR COGNOMENTO CENSORIVS
Rudioris tantum sæculi sui vetustate secundus
cæterum eloquentia primus
Ex Dactyliotheca Fulvij Vrsini in gemma

M. PORCIUS CATO.




ISTUM Carneadem ſtantem ac vibrantem tortuoſa volumina quædam eloquentiæ in ſenatu Romano audivit inter alios ſedens hic Cato, Cenſorius in Herma truncato apud Urſinum cognominatus. Materia ſermonis erat, cui plane nullus bene doctus faveret, & exſequuntur eam Prolegomena maximi Grotii ad Jus belli & pacis. Sic tamen facundia eam verſavit variavitque, ut etiam veritus Cato & ipſe orator, ipſe bonarum artium magiſter, ne univerſi illius conſeſſus mens & ſanitas præſtringeretur ac errore lapſaret, ocius dimittendum pro ſententia diceret. Hinc merito apparet illi & Cyrenenſi & Attico jungi hunc Romanum, nullo etiam præſtantiæ genere cedentem, & tanto ſuperiorem, quod Romana ratio non pacis tantum artes in cive requirebat, ſed & bellicas, quas tum miles per ſtipendia didicit implevitque; tum Imperator ſi quiſquam alius conſilio & fortitudine conſummavit. Sed quid eſt in laude humana, quod non poſſediſſe dicitur hic Cato, etiam ſapiens ideo appellatus a ſuis? Scias hunc eſſe principem Catonum, quorum poſtremus virtuti ipſi ſimillimus fuit traditus. Hoc igitur ſanctum caput ac jam ſenii, quod ad nonum fere decennium porrexit, notas graves gerens, prout ex gemma onyce apud Urſinum publicavit Gallæus & in grandius exemplum ampliavit Bellorius, ſpecta & reverere. Sed quum Jo. Faber loquatur etiam de altera imagine, quæ apud eundem Urſinum exſtiterit, in corniola, & inde repetat Bellorius, ut mentem expletus ſpectator diſcedat, eandem judicavi annectendam, quum Cl. Gevartius curam ejus in itinere gerens ſic depinxerit adſcriptis verbis *Apud F. Urſinum in gemma*. Sed neque omittendus erat nummus jam cum ipſo Herma ab Urſino editus, quem ſequitur Bellorius; verum neglecta capillorum cura, quam ex nummo meo accurate ſpectandam reddidi, idque unus ante quodammodo obſervaverat Gorlæus.








ΕΥΧΑΡΙϹ
ΛΙΚΙΝ
EVCHARIS
in ſcenæ Graecae arte apud Romanos
prima excellens

EUCHARIS.




ITAQUE quum vicinia Catonis etiam nunc exſtinguat quidquid ex humanitate ſplendidum ei apponatur, & præ illo etiam egregium vel optimum redigatur ad tenue & minutum: placet cum illo potius intrare ſcænam, etſi non utique Floralibus, ut quondam poſtea Uticenſis, attamen ad ſpectandam mimam certe ætate ſua vigentem. Hoc enim quoque theatri Romani, ſed palliatas exhibentis nobile ferculum hactenus integrum in urbe ſervabatur apud Delphinios translatum, ut Gruterus notat, ex ædibus Colotianis, crebro viſitatum ab literatiſſimis viris, unde & Urſinus inter imagines Virorum Illuſtrium retulit, & Aldus Manutius in Orthographiam, & Antonius Auguſtinus in Dialogum decimum, particulatim percenſens. Sed & videas apud Boiſſardum in parte V Antiq. pag. 100, quem propterea mireris ab Grutero citari, qui cum Smetio viderit, quod ab tam multis ante fuerat percelebratum. Sic jam minus mirum eſt conſpici quoque in Bellorii ſynagoga. Utique hi omnes Catonem ab hac ſcriptorum ſuorum parte abigere non voluerunt, quum præſertim ad aliquam temporis vetuſtatem accedere conſentiant aut ex tota inſcriptionis ratione, aut ex claro ejuſdem indicio, quo primam ſic apparuiſſe in Græca ſcæna vel fatetur vel inſtar gloriæ ſibi vindicat. Ex illa autem tot eruditorum hominum tractatione licet cognoſcere, quid in hoc conſpectu obſervari mereatur, aut quid eorum quiſque attenderit. Certe ſi ſpectaſti ipſam ob multa notabilem, ante omnia ex Urſini relatione habe & urnæ vel ſepulchri titulum, quid fuerit, liquide exprimentem, etſi vellem nihilominus plura.

EVCHARIS LICINIAE L

DOCTA ERODITA OMNES ARTES VIRGO VIXIT AN. XIIII
HEVS OCVLO ERRANTE QVEI ASPICIS LETI DOMVS
MORARE GRESSVM ET TITVLVM NOSTRVM PERLEGE
AMOR PARENTEIS QVEM DEDIT NATAE SVAE
VBEI SE RELIQVIAE CONLOCARENT CORPORIS
HEIC VIRIDIS AETAS CVM FLORERET ARTIBVS
CRESCENTE ET AEVO GLORIAM CONSCENDERET
PROPERAVIT HORA TRISTIS FATALIS MEA
ET DENEGAVIT VLTRA VEITAE SPIRITVM
DOCTA ERODITA PAENE MVSARVM MANV
QVAE MODO NOBILIVM LVDOS DECORAVI CHORO
ET GRAECA IN SCAENA PRIMA POPVLO APPARVI
EN HOC IN TVMVLO CINEREM NOSTRI CORPORIS
INFISTAE PARCAE DEPOSIERVNT CARMINE
STVDIVM PATRONAE CVRA AMOR LAVDES DECVS
SILENT AMBVSTO CORPORE ET LETO TACENT
RELIQVI FLETVM NATA GENITORI MEO
ET ANTECESSI GENITA POST LETI DIEM
BIS HIC SEPTENI MECVM NATALES DIES
TENEBRIS TENENTVR DITIS AETERNA DOMV
ROGO VT DISCEDENS TERRAM MIHI DICAS LEVEM

Quibus hoc elogium ſubnexuit ille omnia elogia meritus Fulv. Urſinus . *Eucharis Liciniæ liberta , nobilis ſui temporis , ſive ſaltatrix illa ſive mima fuerit , niſi antiqua hæc cum imagine inſcriptio extaret , ignota nobis penitus foret , cum ejus nomen apud antiquos ſcriptores nuſquam quod ſciam , reperiatur . Ex inciſis autem in lapide lite:is colligere poſſumus in Comico illam choro ceciniſſe , & in orcheſtra antequam agi Comœdia inciperet , ſaltare ſolitam fuiſſe . De choris autem Comicis quod ex viginti quatuor , ſeu viris , ſeu mulieribus , ut fabulæ ipſius ratio poſcebat , conſtarent , & Græci ſcriptores tradunt , & ex Ariſtophanis Avibus notat antiquus Interpres . Sed ſaltatrices quoque , quæ ad tibiarum ſonum decoris corporis motibus populum in theatro ſpectantem oblectarent , adhibitas fuiſſe a Comœdiarum actoribus legimus . Hinc Cicero in Piſonem . Tu ex tenebricoſa popina conſul extractus cum illa ſaltatrice tonſa Senatum Reip. caſum atque interitum lugere vetuiſti : & Gellius lib.* I. *cap.* V *cum de cauſa Sullæ quæreretur , non jam hiſtrionem eum eſſe diceret , ſed geſticulariam , Dionyſiamque eum notiſſimæ ſaltatriculæ nomine appellaret .*


TERENTI


P. TERENTIVS AFER
Arte ſumma Lectiſſimaque ſermonis puritate inter
Latinos Comicos ſpectandus
Ex vetuſtiſſimo Codice Vaticano.

P. TERENTIUS.




EU opportune, ſeu tempore non ſuo injecta ſcenæ mentio non patitur excedere ad quenquam, niſi primo decus alterum ſcenæ Græcæ, ſed ad Latinos jocos in æternum celebrandos efficacis ſuo certe loco reddidero. Hic enim P. Terentius, ut traditur, in Africa natus ita paulatim Romanam civitatem tum mente perſpexit concepitque, tum ſcribendo & vocibus Romanis expreſſit, etſi ſub perſonis Græculis & fere tota actuum molitione ex Menandro ad imitandum deſumpta, ut nihil ad gratias ejus accedens vel lectum vel auditum ſit; imo ut ne auctor quidem ipſe credi ita potuerit, quin adjutorium elegantiæ ab Lælio aut ipſo Scipione Africano acceſſiſſe ſuſpicarentur. In qua re dum ſic videmus ludere antiquos, applaudendum eſt noſtro tam ſero tempori, quo ſingulis etiam nobis, licet Romana in urbe non viventibus, tamen permiſſum eſt calculos ponere, ut modo factum ſatis frequente varietate arbitriorum oſtentant editiones ſanequam multiplices. Dum interim Urſinus ipſam ejus faciem adamans membranæ incurrit, unde exemplum hoc exciperet, de quo ita ſcribit: *Fuiſſe autem ſtatura Terentius dicitur mediocri, gracili corpore & colore fuſco. Ejus vero quam habemus imaginem deprompſimus ex antiquiſſimo bibliothecæ Vaticanæ libro, in quo Terentianæ quoque fabulæ vetuſtiſſimis notis exaratæ ſunt. nec ſane dubitandum eſt, quin de alio antiquiore libro & ab eo librario, qui Terentii temporibus vicinior eſſet, exſcripto depicta imago illa ſit*. Paria ſunt, quæ ad Gallæi concinnationem, ubi fœmineas perſonas hiantes omiſit, eduntur ſub nomine Jo. Fabri, credibile ſtatuentis eam ex archetypo quopiam, ut ſcribitur, naturali expreſſam eſſe: idque ut credat facilius, facere, quod de Terentio legimus eum fuiſſe colore fuſco, corpore gracili & ſtatura mediocri. Quæ ut ita ſe habeant, certe alienus ab illa ætate mos debuit placuiſſe Terentio, ut mala & genas barba obſitas geſtaverit, quum in æqualibus omnibus cernamus læves & raſas, utique glabras. Et certe pa-



rum fidei verus rerum æſtimator membranæ tali, unde ſpecimen ſcripturæ excerptum vulgant Diplomatica Mabillonii pag. 354, aut co-

loribus præbeat : & quid tandem est ex illis tribus quod in hanc effigiem cadit ? Itaque quem alterum Terentium nuper extulit gaza Swartzburgensis , magnitudinis eadem ratione servata annecti a me debuit , quem tamen & ipsum quo pretio haberi oporteat , non pronuntio . Satis est , si ipse Terentius sciat uti foro .




L.CORNELIVS LENTVLVS
Praetor Romanus.
4

L. CORNELIUS LENTULUS LUPUS.


STAM quoque hic gratantes confecremus effigiem, plenam gravitatis illam & bene folidam, quam annulus fincipiti adfixus quondam honoris ergo fufpenfam fuiffe indicat, ut videtur, Tibure, quoniam Tiburtina rudera eam præbuerunt, ut notat Jo. Faber. Præterea autem quod annexa erat tabula ænea, cujus infcriptionem repofuit Gruterus pag. 499. num. 12. in qua L. Cornelius Cnæi filius Prætor fenatum confuluiffe dicebatur a. d. III nonas Majas fub æde Kaftoris, probabiliter collectum fuit, iftius ipfius prætoris effigiem junctam illi decreto fuiffe, curantibus Tiburtinis, quibus nomine fenatus ita refponderat hic Lentulus, ut liberarentur ab calumniis, quæ de illis ad fenatum delatæ erant. Mireris licet non tangi ab diligentiffimo Pigio tabulæ hujus memoriam & decretum, quum ifte ipfe Cornelius prætor ei nominetur A. V. C. DXCIII, poftea etiam conful factus. Itaque quidquid fit, certe perfaufto ad æternam memoriam omine hic Lentulus pependit in loco, quod pollicebatur, fideliter exfequuto & ad hanc ætatem quacunque induftria vultum tuito. Nam de cæteris, quæ ad eum pertinent, vel prætorem vel confulem vel eloquentem virum, infpici poffunt fafti, magis per conjecturas fupplendi, quam fimili Tiburtinis cura eum narrantes. Nec nobis diutius illi inhærere placet.




METRODORVS EPHESIVS
ut videtur, Philofophus.

METRODORUS EPHESIUS.



SED jam liceat quoque in tenebris micare, & quum nec de tempore nec de homine ipſo quidquam certum ſciri queat, conjectura vicem ſubeat. Vulgavit enim Boiſſardus ſtatuam & integram & ſatis artifici manu ſculptam, cui pro indicio inciſæ ſunt literæ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΑΦΕΣΙΟΥ. Cur ab Bellorio fuerit ille neglectus parum bene exputo: a me quidem negligi non debuit, præſertim quum & a ſtudiis commendari videatur, quibus operatum volumen manu tenet. Igitur & Metrodori plures olim quum vixerint, quos collegerunt Johnſius in Hiſtoria Philoſoph. & G. I. Voſſius in Hiſtoricis Græcis; neuter tamen ex illis Metrodorum Epheſium hunc ita ſimpliciter ab patria appellatum aut noviſſe ex hoc marmore, quod innoteſcere diligentiæ illorum potuit, oſtendit, aut in iſto numero latentem denotare voluit. Propterea licet nomen adſcriptum fateatur omnino quis fuerit, dederitque ſuis quidem facultatem cognoſcendi, tamen cæca imago exiſtat, nec coram peregrinis in tanta eorum turba hanc ſtaturam diſtinguat: ad hos annos eam revoco, exiſtimans eſſe illum Metrodorum, quem capto rege Perſeo Heraclides Macedo Athenas ex patria commigrans, eodem tempore illic invenit, pictorem eundemque philoſophum, magnæ in utraque ſcientia auctoritatis, ut ſcribit Plinius lib. XXXV, cap. XI, unde hic tam Voſſio quam Johnſio celebratur; ubi etiam notabilem addit occaſionem, qua per utrumque ſimul commendaretur Æmilio Paullo. Illic quidem non notatur Epheſius fuiſſe, immo potius Athenis in patria vixiſſe tacite innuitur. Sed quum in artificibus illis ſciamus ſæpe geminatam fuiſſe patriam, & qui in ſtatua nominatur Epheſius, recte ab auctore potuiſſe etiam deſignari Athenienſem, cui civitati fuerit poſtea propter elegantiæ merita inſertus, eamque ſub victoriam Romanam & Macedoniæ calamitatem inhabitaverit; ego hac ætate illi adſignata, numerum quoque hunc & locum tribuo. Quippe quem toga prorſus Romana indutum, colligo ab Æmilio Paullo ſic honoratum fuiſſe ob philoſophiæ pariter & picturæ officium laudabiliter ipſi liberiſque præſtitum.



ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ
PYTHODORIS
Stephanephorus sacri certaminis

PYTHODORIS.



SED & hujus infulciendi veniam obtinere ſperans, non prætereundum vetuſtatis conſpectum largiente Jac. Sponii laudanda ſane ad nutriendam fovendamque rem literariam & antiquitatis notitiam induſtria hic colloco, tanto decentius, quanto minus in eo ſpectando potuit ſibi ſatisfacere vir perpolitus, adeo ut recordatus Pythodorin eſſe nomen fæminarum, non virile, marmorarii vel auctoris ſuſpicetur erratum; ac denique ad Strabonem quoque refugiat, & illam notiſſimam reginam Ponti, Polemonis uxorem, inde huc arceſſat, quo nomine habuit & filiam nominatam ſimiliter in Tiberii nummo. In qua re attendi oportet eſſe talia nomina, quæ terminationem habent fæminini, quum tamen viri uſurpaverint. Talia ſunt compoſita ab Græco ΠΟΛΙΣ: in quo perridicule habitum occurrit iſtud ΗΦΑΙΣΤΟΠΟΛΙΣ apud Herodotum II, 134, cujus filium quum illic dicat ΙΑΔΜΟΝΑ, interpres miſere intellexit *Jadmonis ex urbe Vulcani*, quum tamen ibi dicatur Samius, & nomen hoc dictum ſit, ut ΘΕΣΜΟΠΟΛΙΣ, ΣΩΠΟΛΙΣ. Certe etiam ΠΕΡΣΕΠΟΛΙΣ teſtatur Stephanus Byzantius in ea voce fuiſſe nomen proprium filii Telemachi. Talis eſt hic quoque ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ, quod nomen tu ſic contemplare, non quaſi ad id componendum accedere oporteat ad Tralles, ut ex ea urbe fæminam evoces, ſed ab altero Epheſi latere, ubi inter egregia Sami inſulæ nomina recognoſces ΔΟΥΡΙΝ, *Durin*, hiſtoriæ præclarum virum, notum Græcis, Latiniſque, quem ab Suida ΔΩΡΙΝ dici non pertulit G.I. Voſſius, dubito an juſte. Certe enim hunc ipſa barba virum manifeſtat: & notabili corona, certe denſiore & largiore quam vulgo fingi ſolent, incinctum cernis caput, ut ego opinor, non ſine ſingulari cauſa, quæ artificem & auctorem capitis ita honorandi commovit; ſed quam vix eligere decerno. Poteſt enim videri ſic poſitus, quia victor fuerat in agone ſacro vel coronario aut, ut loquebantur Græci, Stephanite, qualem Strabo ſcribit libro VIII fuiſſe agonem Olympiacum ΣΤΕΦΑΝΙΤΗΝ ΤΕ ΚΑΙ ΙΕΡΟΝ ΝΟΜΙΣΘΕΝΤΑ, quum eſſent alii agones ΘΕΜΑΤΙΤΑΙ vel ΧΡΗΜΑΤΙΤΑΙ, quam differentiam ſæpe jam illuſtraverunt viri doctiſſimi. Sed vere imaginor in hoc capite a me adſpici habitum illius ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ, tantopere exclamati nobilitatique in Aſiaticis urbibus, (& ex Epheſo deportatum verſus Narbonenſem Galliam teſtatur Sponius) velut ampliſſima ornamenta poſſidentis, quum præponeretur curationi ludorum ac ſacrorum certaminum, in nummis, in inſcriptionibus, in voluminibus ſcriptis Græcis Latiniſque tanta cum reverentia nominati, ut non potuerit non etiam notiſſimus eruditis eſſe; vel

ipſa appellatione hanc notitiam impellente , ut patet etiam ex Henrico Stephano Athenæum notorem dante: prout quoque eum tetigerunt notæ paternæ ad Senecæ Vitam Beatam cap. 2.




XENOCRATES *APHRODISIENSIS.*
Medicus ultra morem curiofus

XENOCRATES.



LTER isto nomine, sed aliam sectam in studiis sequutus, nunc videtur locum poscere. Hic enim Xenocrates, domo Aphrodisio, ut intelligo, Carica (nec enim edidero causam, unde Bellorius scribat Alexandrinum, quum & Galeno plane indicetur Ο ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΥΣ, & Lambecius assidue sic vocet) initiatus decentibus exordiis, videtur & ipse attendisse quidem medicinæ, sed ut ea, quæ ad ipsam pertinerent, latissime extenderet; unde licet inter medicos ab aliis numeretur, certe remedia Plinio per hunc excogitata describente (quum tamen Harduinus talem Xenocratem in Indice Pliniano ignoret) nihilominus ab Galeno vituperatur nescio quæ peregrina ab Ægypto & Babylone arcessivisse, & hinc non tam incognitas, quam fictas falsasque appellationes in herbas addidisse; immo nefanda præcepisse, tanquam vel cerebrum humanum vel carnes aut jecur aut ossa peculiarem haberent vim, & quæ similia amentiæ exempla ex Galeni locis citat aperitque Cl. Lambecius. De ætate ejus quidquam aliud ab hoc non proferri miror, nisi quod Galenus testetur vixisse ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΠΑΠΠΟΥΣ ΗΜΩΝ. Hinc sustinui eum circa hoc tempus digerere. Etsi enim pateat, quid hæc verba notent; largius tamen accipienda videri inde colligo, quod in ordine tabulæ isti medicorum adsignando ita auctor processerit, ut post hunc ponatur Mantias, isque sedeat sub Heraclide Tarentino. Hunc ordinem Lambecius vocat præposterum, quia discipulus præcedat, præceptor Mantias inferior ponatur. Sed is mentem ejus, qui digessit, non satis adsequitur. Non enim assidue ab utroque latere consideravit sibi invicem obversos, ut sic infimi considerentur respectu temporis, quo vixerunt; sed ordinem deducit ab latere Chironis dextro, & sic per omnem circuitum & omnia latera collocat serie composita ex vitarum tempore; ita ut Xenocrates hic inter Pamphilum & Mantiam medius vixerit: ex qua computatione certe Mantias antecedit Xenocraten. Quum igitur libro VI de medicamentorum compositione secundum locos ita Galenus enarret medicos, ut ante Antonium Musam dicat vixisse Andromachum, quem antecesserit Heras, & longe ante hos postremos duos Heraclidem ac Mantiam hujus magistrum: apparet illos ejusdem Galeni ΠΑΠΠΟΥΣ non nimis stricte accipiendos, & ad hanc usque ætatem facile extendi, licet id viro docto non satis placeat. Itaque duo alii Lambecium sequuti potuerant abstinere ab hoc præpostero ordine continenter inculcando. Agnosce autem in pedibus & libro eandem Bellorii licentiam.




MANTIAS

Herophili ſectator, pharmacis componendis laudatus.

MANTIAS.



Huic Xenocrati adſidet Mantias tanquam medius illius & diſcipuli Heraclidæ , prout illam nomenclatoris loca adſignantis mentem in hac tabula fuiſſe dixi . Itaque hanc trigam aliquoties ab Galeno junctam oſtendit Lambecius , unde nec mihi placet eoſdem nunc divellere . Iſte vero Mantias ex diverſis curandi viis , quæ jam muniri inceperant , Herophili ſectam potiſſimum ita elegit , ut in ea perſeveraverit : quod tamen eo judicio effecit , ut non tantum noviſſe celebretur mixturas complurium remediorum , quibus utpote laudabilibus etiam poſteri uſi fuerint , ſed in varios eadem quoque conferre libros & publicare pigratus non fuerit . Id quod hac ratione præſtitit , ut diſponeret per locos & quaſcunque corporis partes , & ſingulatim ea quæ ad purgationes conducerent , rurſum quæ bibendo hauriri præſtaret , alia quæ per lotionem commodius ſumerentur , divideret . Ita unus Galenus eſt , qui notitiam hujus Mantiæ alioqui penitus interituram poſteritati imputat , nullo præterea eum memorante . Unde apud peritos agnoſci debet pretium hujus tabulæ , & elegans ac curioſa mens ejus qui confecit , virum egregium , ſed cujus memoria incipiebat jam evaneſcere , cujusque ſcripta in paucis modo bibliothecis exſtarent , & ferme jam ipſi Plinio , tanto earum ſcrutatori , ignota fuiſſe credere oportet , in ſuo ordine conſervantis . Neque hac ſera ætate quidquam nobis ſupereſt dicendi de eo , quem tam diu ante jam incepit vetuſtas expugnare & quaſi expungere .


HERACLIDES TARENTINVS.
Medicus Empiricus.

HERACLIDES TARENTINUS.



MANTIAM inter primos, ut videtur, licet quaſi ſolus celebretur, diſcipulus ſequitur iſte Heraclides, loco tantum ſuperior, quia ſic poſtulabat deſignatio circumgyrantis conſeſſus, non vitæ tempore nec ſtudiorum gloria. Itaque nec verum eſt, quod ſcribit Bellorius illi inter rei herbariæ ſcriptores tertium locum poſt Dioſcoridem & Nigrum ab Galeno tribui. Video quidem ab eo repeti iſta verba primum poſita ab Lambecio pag. 548 libri ſecundi de Bibliotheca Cæſarea, ſed in gravi errore. Neque enim illic ita agit Galenus [1], ut pro pretio locum ſingulis ſcriptis adſignet, ſed ab maxime ſibi vicinis incipiens procedit per ſeriem ad remotiores plane non minus laudatos, quam poſteriores fuere, prout ipſum Crateuam admirari ſe confeſſus fuit ipſe Hippocrates. Sic igitur inter laudandos ab Galeno numeratus hic Heraclides (& certe, ſi ex frequenti citatione ejus ratiocinari licet, videtur multo magis ſe jactaviſſe hic medicus, quam Mantias; adeo crebra ejus ubique mentio, doctoris rariſſima) etiam quædam laboris ſui teſtimonia vulgavit, tum alia, tum ad medicinam pertinentia, ita ut per apparationes remediorum & probationes materiam iſtam tractaret, diverſo aliis modo ſcribendi. Nec tam contemplatio naturæ ei placuit, ſed potius rationali diſciplina ab medentium inſtituto abacta, in uſu & experimentis omnia conſtituit aggregans ſe numero eorum, quos Empiricos appellarunt; maximeque id agere, ut victu curarentur morbi, quod etiam patet ex verbis Athenæi ibidem ab Lambecio Latine adductis. Sed de hoc Heraclide collegit omnia perquam diligenter doctiſſimus ille Johnſius de ſcriptoribus Hiſtor. Philoſ. lib. II cap. 12, quæ ut non illic tantum legerentur, deſcripſit in magnis ideo & moleſtis commentariis ad Diogenem Laertium lib. v Menagius.

1. *Εἰ δὲ ἄρα ἐ δέοιτο τȣ̃ βιβλίȣ, τίς ȣ̃τως ἄθλιος, ὡς παρελθεῖν τὰ Διοσκȣρίδȣ, καὶ Νίγρȣ, καὶ Ἡρακλείδȣ, καὶ Κρατεύȣ, καὶ ἄλλων μυρίων ἐν τῇ τέχνῃ καταγηρασάντων;* Et ſimiliter fecerat in antecedentibus.


ANDREAS
medicus celebris et herbarum peritià laudatus.

ANDREAS.



UM ita ſeries primi conſeſſus me occupat, vix tarde ſe animus revocat ad rationem ponendam temporis, & videndum, an non in ſecundo etiam plures ſint his, quos jam nominavi, aut immiſcendi aut præponendi. Etenim talis videtur eſſe hic Andreas, qui ab multis meruit citari; ſed ætatem ejus prætereunt omnes taciti. Ita certe Caſtellanus & ad Plinium Harduinus aliique, quum fuiſſe eum credat ſciatque quilibet; ſed quando floruerit, tamquam ſupervacuum deſtituunt. Debuiſſe vero illum jam produci omnino liquet ex Dioſcoridis procœmii illa parte, quam citat Lambecius, ubi Crateuam herbarium & Andream medicum (hoc titulo eos diſtinguit,) allegans, mox illos vocat ΑΡΧΑΙΟΥΣ, ac deinde juniores memorans Nigrum quoque (qui unus ex tabula priore ſupererat) nominat, adeo ut ejus partes necdum requirantur. Idem quoque Dioſcorides eum vixiſſe oſtendit poſt Dioclen, Pliſtonicum, Praxagoran & Herophilum, cujus poſtremi ſectam exſtitiſſe jam audivimus, medicamentis potius utentem quam victus ratione. Denique ex vetuſtioribus fuiſſe maxime appareret, ſi verum foret, quod ſcribit Lambecius eum reprehendi ab Galeno, *tamquam qui primus medicamentorum ſcientiam præſtigiis & mendaciis inquinare & corrumpere auſus ſit*. Id quod etiam altera vice iterat Lambecius, quo illi cognomen ΘΑΥΜΑΣΤΟΥ adderet: idque tantopere placuit Bellorio, ut iiſdem plane verbis ſuſtinuerit quoque pronuntiare. Sane jam primis temporibus fere hæc corruptela exſtitit. Ego autem non video fulmine tali ab Galeno percuti hunc Andream, quem dicit tantum [1] ΥΣΤΕΡΟΝ ΕΠΙΔΕΙΞΑΣΘΑΙ ΓΟΗΤΕΙΑΝ ΤΕ ΚΑΙ ΑΛΑΖΟΝΕΙΑΝ, non utique ΠΡΩΤΟΝ, vertente Theodorico Goudano *quæ poſtea invexit*; certe veteres illud cognomen *Admirandi* in eo ignorant. Celſus eum nominat inter Zenonem & Apollonium Murem, Galenus in gloſſis eum ponit inter Mneſitheum (is enim videtur eſſe Plinio & aliis notus, qui illic appellatur ΜΕΝΕΣΘΕΥΣ,) & Xenocratem, & quod notandum eſt, vocat filium Chryſaris ΑΝΔΡΕΑΣ Ο ΤΟΥ ΧΡΥΣΑΡΟΣ. Plinius aliquoties meminit, ſed ſine ulla temporis nota.


1. *Καὶ οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ἀνὴρ παλαιὸς, ὃς οὐ συνεβάλλετό τι τῇ τέχνῃ μεῖζον, ἢ μεῖον εἰς ἐπιστήμην φαρμάκων ἄνευ γοητείας τε καὶ ἀλαζονείας, ἣν ὕστερον Ἀνδρέας ἐπεδείξατο.*


NICANDER COLOPHONIUS
Theriacorum et Alexipharmacorum ſcriptor

NICANDER.




UIPPE regnat jam alter Philometor felicium Attalidarum ultimus, & quod tam jucunde magnificeque floruerat, Pergamenum regnum faſcibus Romanis propediem ſubmitti oportebit, quando ſive in eo degens habitanſque, ſive ab ipſo illo rege beneficiis affectus Nicander honorifice nomen ejus ad poſteros protuliſſe creditur inſertum carmini, quod huc uſque perennavit utpote inventionis & eloquii plenum. Certe enim hæc utraque in eo viro ad miraculum uſque viguiſſe affirmant non tantum ſcripta quæ ſuperſunt, ſed vel ipſi reliquorum operum, quæ ejus in lucubrando & exercendo ingenio aſſiduitatem immenſam patefaciunt, tituli; ut mirari non deceat non modo Colophonium cognominari, ſed etiam Ætolum; quam varietatem honorificam & ſpecioſam illuſtrat Cl. Johnſius in libro I ſcript. Hiſtor. Philoſ. cap. 2. ex eadem ratione, qua uſus modo fui in Metrodoro Epheſio, ſed Athenis habitante, ſicut ipſe illic alterum Metrodorum Athenienſem & Lampſacenum confirmat. Hic igitur Nicander, ſive notitiam earum rerum, de quibus ſcripſit, commodam adeptus fuit, ſive alioquin promptus & natura factus ingenio declarando de pluribus perinde ſcripſit, ſicut de rebus ruſticis ſcripſiſſe teſtatur Cicero, ornatiſſimis quidem verſibus atque optimis, quum tamen eſſet homo ab agro remotiſſimus, nec facultate ruſtica valeret, ſed poetica: certe per hanc tabulam in Medicos adſciſcitur, & procul dubio alluſione facta ad ejuſdem ΘΗΡΙΑΚΑ, vel jocatur cum triſulca ſerpentis lingua, vel irritat ad veneni ejus perſpeculandam rationem: quanquam præter iſta ſeparatim aliquid ad medicinam pertinens & remedia collegiſſe referatur. Sed poſt felices in oſtentando inſigni hoc viro operas præſtantium hominum Ger. Joh. Voſſii, & modo allegati Johnſii, qui certaverunt in annotandis diligenter damnorum noſtrorum appellationibus, nihil habeo ad augendum ejus memoriæ pretium. Certe ſi hoc inſpexeris, pro aſtuto ſerpente habebis Harduinum in Pliniano auctorum indice emendare conatum in Suida & Apollonii ſcholiaſte, quæ diu ab illis emendata fuerunt. Si quid tamen apponi debet, tu vide, quam vicini, immo an non confuſi inter ſe ſint tituli ΘΗΒΑΙΚΑ & ΘΗΡΙΑΚΑ & ΘΡΑΚΙΚΑ, item ΟΙΤΑΙΚΩΝ & ΟΦΙΑΚΩ. In hujus autem Nicandri ΑΝΕΞΗΓΗΤΑ ſcripſit aliquid Pamphilus, quem ibidem quoque ΟΦΙΟΝΙΚΑ ediDiſſe teſtatur Suidas, ut quidem corrigebat Lambecius pro ΟΠΙΚΑ.



SEXTIVS NIGER

Medicus et re herbaria clarus.

N I G E R.



UNC itaque regredior ad reſiduum prioris tabulæ Nigrum. Sic enim ſolum retineo nomen apud Græco obtinere ſolitum, ut ex Galeni & Dioſcoridis excerptis apud Lambecium patet, duobus inter Romanos Nigris eadem circiter ætate celebratis ab obſervatione rerum naturalium, quorum alteri Tedio nomen fuit, alteri Sextio, utroque apud Plinium nominato, quorum poſterior ad figuram noſtram placuit Lambecio. Neque ab hoc judicio quiſquam recte exigens facile diſcedat, quum is ſcribatur ab Plinio alibi diligentiſſimus medicinæ (nam *auctor* quod additur ab Lambecio, Bellorio, & Harduino, eſt ipſorum) alibi Romanus homo qui Græce ſcripſerit; id quod egregie huc pertinet, ubi certe vides hominem toga Romana velatum, cui involuta eſt ſiniſtra, dextra apparet exſerta & volumen tenens: quod de induſtria erudite ab auctore obſervatum videtur, ut Romanum ejus veſtis habitum manifeſte proderet. Iſte igitur quum ſic laudetur ab Plinio, tamen in herbis explicandis Dioſcorides dicit eum multa pecaviſſe. Quod verum eſſe patet ex eis, quæ allegavit Lambecius. Cæterum hæc non ſunt ſibi contraria, prout conſideravit ea Harduinus in indice auctorum Plinii nihil præter Lambeciana adferens. Nam certe, quamvis notet quædam Dioſcorides, non ideo negat laudem diligentiæ eum mereri, quum ſcribat diſerte ΚΑΙ ΓΑΡ ΚΑΙ ΤΟΥΤΩ ΤΑΛΛΑΤΕ ΚΑΛΩΣ ΕΙΡΗΤΑΙ, & mox cum ipſo laudatiſſimo Dioſcoride & Heraclide componat; etiam ubi eum increpat ob vires medicamentorum & probationes perperam traditas, agnoſcit in eo ΑΝΑΓΡΑΦΗΝ ΑΚΡΙΒΗ, utique ΕΠΙ ΠΟΣΟΝ. Itaque ut diligentia vel maxime commendandus videri meruit; ſic judicio potuit vacillare, ut etiam uterque ita ſcripſerit ex merito.


PAMPHILVS *ALEXANDRINVS*.
Grammaticus et herbarum interpres.

PAMPHILUS.




EXPULSO e Macedonia Perſeo, procedit in annos bene multos regnum Ptolemæi Philometoris, ſub quo vivens Ariſtarchus, præcipuo eruditionis nomine, diſcipulum habuit Pamphilum, qui & ipſe varia doctrina refertus, convertere partem ejus voluit ad herbarum ſcientiam, confecto volumine, quo non ſolum nomina herbarum ad ſeriem literarum collecta exſtarent, ſed & ipſæ coloribus ad naturæ imitationem pictis. Verum alia plura ſunt, quibus ille inclareſcere voluit, unde inter auctores, ex quibus Geoponica ſub Conſtantino excerpta ſunt, illius quoque recenſetur nomen. Quin etiam Galenus varios medicos nominans, ut de illis judicium ferret, hunc Pamphilum nequivit omittere; ſed ita, ut reprehenderet, quod naturam per herbas commodantem humano generi deſerens, converteret meditationem ad aniles fabulas præſtigiaſque & incantationes, quibus, qui legunt velluntque, credidit poſſe vires earum augere, ut ad mirificos uſus prodeſſent: imo ipſas herbas vix vidiſſe objectat. Hujus igitur Pamphili, quem idcirco neſcias, quo tituli decore inſigniri debeat, (Galeno utique magis exiſtimante grammaticum, quam medicum, prout facit quoque Suidas) vultum quoque protulit Lambecius ex tabula medicorum plena velut in muſeo Dioſcoridis, & ex Suida monſtravit eſſe domo Alexandria. Quod ſi uſpiam licentiæ pingentium advertendi copia data eſt, certe in hoc Pamphilo eam videas, ſi Lambecianam paginam cum Belloriana compoſueris. Lambecius enim non modo pedem liberum, ſed etiam manum convoluto & collecto plurimum volumini impoſitam protulit; at Bellorius vincula & ſoleam pedibus inſertam atque etiam codicem per paginas plicatum teneri ſimulat. Nec ipſe hæc nunc emendare potui, quum eſſent leviora. In vultu quum ſint omnia, eum oblongum & in imo contractiorem edidit Lambecius: at Bellorius lineamentis cæteris quidem alieniſſimis, inferiora etiam pari ſpatio extendit & ampliat, ut omnia propria Pamphili incondite permiſceat & confundat; quam partem pro viribus ad verum revocavi: nam & hæc coactior eſt & mala ſiniſtra ſinum facit omnino incongruum.


APOLLONIVS MEMPHITES
Medicus et Herbarius insignis.

APOLLONIUS.



UUM in prioribus licuerit quodcumque apprehendere ad eos ſingulatim noſcendos, in hoc ſane fatiſcere oportet, quum nec in ipſa imagine nec in nomine quidquam ſpeciatim appareat, unde is dignoſci queat; idcirco huic tempori & reliquis præcedentibus nunc eum applicui. Recte enim præfatur Lambecius multos fuiſſe medicos ejus nominis, ex quibus duos potiſſimum ſibi proponit, Pergamenum Varroni & Columellæ memoratum ut rei ruſticæ ſcriptorem, & Memphiten Scholiaſtæ Nicandri citatum, ex quibus poſtremum deſignari judicat. Harduinus vero illum qui de herbis ſcripſit apud Scholiaſten Nicandri, putat eundem ſcriptori rei ruſticæ, quum tamen Scholiaſtes ille Memphiten diſerte appellet in loco, ubi de herba acneſti agitur. Corn. quidem Celſus in præfatione nominat Apollonium, ſed ſine diſtinctione. Florentiæ in Mediceis ſcriniis exſtant Chirurgica Hippocratis, Amyntæ, Galeni, Aſclepiadis Bithyni, Apollonii, Oribaſii, Archigenis, Nymphodori, Heliodori, Dioclis, Rufi Epheſii, Apollonii Citienſis, ubi aderant picturæ antiquæ ipſorum inſtrumentorum ligamentorumque notabiles. Et hic Apollonius Citienſis etiam innotuit ex Erotiano, quod pro Bacchio ſcripſerit contra Heracliden Tarentinum. Sed nihil præſtat definire, etſi probabile ſit in conſeſſu apud Dioſcoridem locum datum fuiſſe herbarum cultori: unde oportuit Lambecio hanc veniam dare, ut hactenus intelligeretur Memphites.


A. POSTVMIVS ALBINVS
Romanus consul

A. POSTUMIUS.




ET huc uſque licuit conſiſtere in medicis Cæſareis ſpectandis, quum reſiduorum ætas ſit citerior, nec debeant differri, quos tempus antetulit. In quibus occurrere primum opinor hunc A. Poſtumium titulo conſulis in nummo decoratum. Video quidem & ab Jo. Fabro & ab Urſino ad gentem Juniam ſupponi hunc eſſe ipſum Decimum Brutum ex conjuratis in Julium Cæſarem, & adoptatum ab Poſtumio Albino admiſiſſe utriuſque gentis nomina, ut adeo in ſequentes tabulas rejici debuerit. Sed prorſus id commentum mihi diſplicet, qui non opinor conſulem modo deſignatum, & quidem in ſecundum annum, qualis Decimus Brutus fuit, ſimpliciter appellatum iri conſulem, quum honorem eum ingreſſus ſit nunquam: perinde ac ſi & illis, qui poſt deſignationem condemnati ambitus nunquam honore uſi fuerunt, contigiſſet tamen hæc portio illius dignitatis, ut inde dicerentur. Etiam in nummo aliis characteribus exprimitur A. POSTUMIUS COS. aliis ALBINU BRUTI F. quod in altero latere legitur, perinde ut in nummo Licinii Nervæ eadem prorſus tria verba cernimus, nec tamen inde ſtatim adoptio ſupponenda. Hinc ſicut concedere queas ab Albino Bruti F. hunc nummum cuſum fuiſſe; ita certe iſte A. Poſtumius ab illo diverſus eſt, forſan ille ipſe qui eum adoptavit, ſi modo iſtud contigit, aut tempora patiantur. Ego utique opinor hoc caput eſſe ejus conſulis, qui M. Antonium collegam habuit anno V. C. DCLV, vel præcedente, ſed pleno terroris ob multiplicia prodigia nuntiata; qualia quidem etiam contigerunt in urbe, occiſo inter alios Appulejo tribuno plebis, ſic ut annales Pigiani ſtatuant propter diſſenſiones eum iſto anno in urbe retentum fuiſſe, nec egreſſum in provinciam, quamvis illam ei decreverit Senatus. Et hoc quidem exemplum in Muſeo Romano venditatur editum ex gemma corniola Marci Ant. Sabatini, neſcio qua fide, quum vultus ſit perquam



vegetus. Majorem fidem & ſine fraude impertire licet nummo, qui dat illi faciem tempori iſti congruam. Quippe in quo cura-


rum pondus videtur in media ætate vultum alioqui teretem & plenum attenuare, cujus clarissimas notas non ab Gallæo, non in Romana, non in Parisina Familiarum Romanarum editione, non ab Goltzio ad annum DCCXI, non ab Gorlæo satis religiose exhibitas esse comperiens ex meo denario eum hic poni curavi.


C. COELIVS CALDVS
confulatu et victricibus armis inclitus

C. COELIUS CALDUS.




ADMODUM conſpicua & paſſim laudata eſt reipublicæ Romanæ moneta, quæ C. Cœlium Caldum conſulem anno V. DCLIX exhibet. Hujus caput ex binis ejus nummis notat Jo. Faber ſculptum fuiſſe, ut opinor, illis, quos Urſinus in Familiis Romanis protulit, ex quorum altero loquitur ideo de tabella cum impreſſis literis L. D. ad nauſeam iterata & recocta ab illis, qui de nummis loqui volunt, etiamſi ignorent. Interim tamen alium & diverſum ab illis in Imaginibus Illuſtrium ſequutos fuiſſe produnt arma, occipiti appoſita, quæ non exſtant in illis duobus, ut ego mirer, cur quem Urſinus nummum in Familiis publicare noluit, hunc in ſignando Cœlii capite elegerit Gallæus, unde etiam hæc ipſa cælatura petita eſt, idque ſub nomine Urſini. Sed quum vera lineamenta iſtius capitis nuſpiam exacte ſint collecta, & inprimis alienus nihilque veri & priſci Cœlii ducens referatur in Muſeo Romano; etiam Pigius in eo aduncum non ſatis aperte (quum illa aduncitas ſoleat eſſe admodum varia) naſum tradat deceptus ex Faſtis Goltzii, licet oſtendat ſatis & ipſum argentum ſibi inſpectum; ex meo num-



mo conſpectum præclari illius viri, ſatis peculiarem diſtinctumque appono. Neque enim nobis minus, quam filio ejus aut nepoti aut utrique, judicari poteſt dignus, quem ex vultu etiam, non relationibus tantum cognoſcamus, ubi fieri poteſt; quum adeo notabiles & plane non pervulgatæ laudationes ei contigerint. Ille enim eſt, qui mediocritate in dicendo quam adſequi potuit, ſcivit munire viam ad ipſum conſulatum, & tunc quum peteret, rivales habuit duos homines ita nobiliſſimos, ut tamen in iis omnia pluris eſſent, quam ipſa nobilitas; ſumma ingenia, ſummus pudor, plurima beneficia, ſumma ratio ac diligentia petendi; ipſe autem inferior genere, ſuperior nulla re pæne. Et ſic tamen homo alioqui novus, ſed induſtria ſumma, ſummiſque virtutibus, quibus acceſſit eloquentiæ tantum, quod in rebus privatis eſſet amicis ejus, in republica dignitati ipſius ſatis, ſuperavit alterum competitorem. Quæ ab utroque Cicerone præbita illi teſtimonia & iſtorum fidem & Cœlii peculiare fatum declarant, quum ſint vel maxime ſingularia, &

accuratiſſime concepta ad eum cui dantur , deſcribendum . Talis quum fuerit in urbe , ut ad ſummos honores pervenerit , etiam auguratus ſacerdotio ornatus ; quam egregius idem in provincia , ut & Imperatoris nomine fulſerit , & duplicis tropæi gloriam meruerit nummo ipſo teſtante ? Arma vero , quæ appoſita ſunt , Pigius vocavit ſecurim & lanceam , Hiſpanorum tela ; quum eandem exterioris teli ſpeciem in gentis Juniæ nummo VI Tab. II cernas , ubi explicare volunt lituos vel tubas , ſi Muſis placet .





C. MARIVS
VII Conful


C. MARIUS.



USTERIOR utroque iſto vultus in hoc ævum inductus fuit naſcente C. Mario ; qui ipſa educationis ſeveritate firmatus & aggraveſcens, denique in urbem ingreſſus, ad intolerabilem & immenſam nobilitatis laſciviam efferatus fuit, quum accederet animi fere juſta indignatio & acerbitas. Hujus igitur notas manifeſtas quum prodant hæc lineamenta, in quibus nihil politum, nihil urbanum, nihil Græcæ ſuavitatis, felix fuiſſet Marius, ſi in rure Arpinati & pago natali morari & inde conſcribi ſe identidem in legiones potuiſſet pati. Sed odore civitatis ictus & ſe Quiritibus inſerere affectans, mox felicitate Hiſpanicæ militiæ & fortuito Scipionis vaticinio velut inſtinctus, etiam opibus Cæciliæ gentis adjutus, honores & potentiam illic accepit, ac denique urgentibus Jugurtha, Tigurinis, Cimbriſque ac Teutonibus is evaſit, ut de imperio Romano actum fuiſſe crediderint, niſi Marius illi ſæculo contigiſſet. Tali modo fata promoverunt eum, qui ex ſordibus emergens ambitione ſua & crudelitate perditurus erat omnia, quod bona fide præſtitit. Nam incenſis primo & proletariis & libertinis arma committere poſtquam didicerat, mox ſervitia etiam & ergaſtula armavit, ut qui ſine verecundia primo inſurgens contra eos, quorum vetus erat cliens, mox patricia quoque nomina contemnens, ſacra & profana tandem una cæde turbaret. Sed omnis ea hiſtoriæ pars nota eſt, ſæpiuſque dicta, nec hoc ſpatio repetenda. Illius viri quum hæc fuerit majeſtas in ædibus Barberinis conſecrata, appareatque ea in facie etiamnum viridi & vigente, capillo adhuc denſo caput obſitum exhibente, tum quia Jo. Faber depredicat alteram, quam ex onyce, ut vocat, cameo dicta, edidit, illam neceſſario appo-



nendam judicavi, præſertim quum ea propius videatur accedere ad conſulatum ſeptimum & ætatem annorum ſeptuaginta, quando notat Tullius & miratur eum obiiſſe mortem non violentam.



SYLLA . COS .
L .CORNELIVS SULLA
ubique felix.

L. CORNELIUS SULLA.



JAM undequinquagesimum annum agebat Sulla [1], qui nobilitatus quidem stemmate Cornelio, quod ad Rufinum referebat bello Pyrrhi notum, sed magno opere etiam inclarescens vel prætura, vel rebus Italico bello gestis, vel legatione sub Mario in Africa, denique ad hoc tempus & honorem in nummo signatum venit, ut collega in consulatu esset Pompejo Rufo. Et quantis ille se rebus præparabat in Campania, quamque innocens ipse & armis optimus puras legiones in Græciam Asiamque trajecisset, nisi prolusione quadam ad perdendos cives fatis debita eas ante imbuere cæde tribuni plebis Sulpicii, expulsione ipsius Marii, & quod gravissimum fuit, dura ista ferocia ad arma urbi Romæ inferenda fuisset compulsus? Sic quoque felicem Sullam, si hactenus defungi ista incivili militia licuisset! Quam multa enim deinceps loca Bœotiæ, jam decoquente actorum præcedentis temporis nobilitate, nova velut fama & inclitis Romanorum præliis ad celebritatem extulit? Quantis damnis suis ac cladibus Sullam & quidem jocari solitum ac ridere cognovit Mithridates? Quum interim non hæc militia par Africanæ aut Gallicæ; sed ut Romanum ingenium venisse in Græciam scires, musarum vel maxime habita cura servata & transmissa in Italiam omnigena voluminum & studiorum copia [2]. Immensa igitur & mera laus circumstetisset semper Sullam, nisi abhinc incepisset ostendere nihil apud eum interesse, civilem an hosticum sanguinem hauriret. Abhinc tot Italiæ loca, tot ipsius Romæ, & præsertim ista villa publica, libertatis Romanæ sacratissima specula, cruore Romano fœdata sunt, inaudita mortium genera spectata, etiam ne timor unquam abesset, proscriptionis exemplo edito, ut nemo magis noxius imperio Romano pugnaverit, nemo tam tetrica tamque terribilia dictaverit.

1. Ut testatur Vellejus lib. II. cap. 17.
2. Lucianus adversus indoctum: Εἰ ἅπαντα ἐκεῖνα κτήσῃ, ὅσα ὁ Σύλλας Ἀθήνηθεν εἰς Ἰταλίαν ἐξέπεμψε. Unde Justus Rycquius non absurde judicavit originem traxisse bibliothecam Capitolinam.


Q. POM. RVF. F.
RVFVS COS
Q. POMPEIVS RVFVS
in praetura et consulatu L. Sullae collega

Q. POMPEJUS RUFUS.



ICEAT ſperare in capite hoc proponendo magis exactam fuiſſe curam Canini, unde iſtud exemplum petitum eſt, quam fuit aliorum omnium, qui ante illum lineamentis eiſdem fingendis attenderunt. Neque enim, niſi appoſitum foret nomen, ex ullius partis convenientia crederes eundem hominem deſignari ab Gallæo & Familiarum Romanarum editionibus. Id vero miror ab Canino præter Glandorpium ignorari reliquos, qui jam per centum annos variis intervallis nummum iſtum verſaverunt. Neque tamen dici debet Sullam dictatorem fuiſſe collegam Q. Pompeii Rufi, quod ille ſcribit. Fuit enim hic Pompejus collega Sullæ, ut antea in prætura, (quod nonnulli volunt) ſic nunc in conſulatu A. V. DCLXV, quando decretam Sullæ provinciam Mithridaticam Marius per Sulpicium tribunum plebis transferre in ſe conatus fuit, hoc eſt, principio civilis belli, quando de dictatura ne ſomniabat quidem Sulla. Hujus autem collegii honor & felicitas mox Sullanæ factionis eſt, unde ita perennem iſti homini memoriam fama dedit. Neque enim ulla re memorabili geſta, mox in caſtris Cn. Pompeii, cui ſucceſſor veniebat, occiſus fuit, quaſi fato hanc primam conſularem victimam ad furorem civicum accendendum offerente, ut paulo antea Sulpicium tribunum plebis Erinnyes eædem mactaverant, ne quidquam in bello imminente nefas crederetur. Nec tamen id videri poſſunt non jure feciſſe, quum per Sulpicium fuiſſet quoque filius Pompeii, generque idem Sullæ interfectus. Sic tamen dum collegæ vivunt, tulerunt legem unciariam, qua ſancitum eſt, ut debitores duodecimam partem ſortis ſolvendo liberarentur, ut quidem eam in Feſto Pompejo mancam ſupplevit Antexegeſis paterna ſecunda.




POSIDONIVS
Stoicvs Rhodi Ciceronis Praeceptor
Apud Cardinalem Farnesium in marmore.


POSIDONIUS.



JAM Cicero biennium verſatus erat in cauſis, & gracilia latera affatim fatigabat ; quum amici & medici deterrentes eum ab illo acri geſtu & ardore contentionis quo in orando utebatur, coegerunt relicta urbe & peregrinando facere paulo plus corporis. Hoc certe prætexi placuit, ſi non dominatio immodica Sullæ verius in cauſſa fuiſſe ſtatuatur, cujus trucem feritatem humani oculi ferre vix potuerunt. Et quæ loca ſequeretur tale ingenium, niſi unde ipſa humanitas proceſſit? Itaque Athenis aliquandiu meditatus quum vellet in Aſiam tranſmittere, exoriens inſignis ille & perquam fauſtus reipublicæ Quiritium annus morte Sullæ, Ciceronem quoque Rhodum tranſvexit, ut illic in ejus notitiam deferendus hic Poſidonius, immo magiſter futurus, per diſcipulum ita clareſceret, ut mox etiam Pompejus Rhodum tranſire nollet inſalutato Poſidonio; unde conjecturam facere licet de frequentia aliorum Romanorum iſtuc appellentium, & tantum propter celebrem hunc virum. Ille enim quum natus eſſet Apamiæ in Syria, inde ſemel egreſſus nunquam eo reverti voluit; nec facile cauſam adeo firmæ pervicaciæ dixero, vel primi exitus. Ita perpetuo peregrinus circumiens, maxime Rhodum conceſſit, tunc ſtudiis ſuiſque & peregrinis ingeniis nitide florentem; ac ſcholam Panætii Stoica amplectentem luculentiſſime ſic tuebatur, ut tamen alia eruditionis divortia nequaquam ſperneret, quod ſatis probant varia loca Tullianorum voluminum. Quippe quum ſic ad ſe traxiſſet Ciceronem, nec ſine optato peregrinationis pretio dimiſiſſet, non potuit, quin identidem vel magiſtrum vel familiarem, ubi locus & res patiebatur, cum honore nominaret, vel etiam ad eum ſcriberet. Sed neque ore tantum protulit indolis ſuæ & ſententiæ pignora apud audientes, verum etiam ſcribendo in omnes regiones benigne ſparſit. Noviſſime complura de eo collegit G. I. Voſſius libro 1 de Hiſtoricis Græcis, etiam Johnſius jam aliquoties citatus.


M. TVLLIVS CICERO
Conſul Romanus, Pater Patriae, Parthorum.
victor, hominum diſertiſſimus.

M. TULLIUS CICERO.



EC quenquam commodius huic addidero, quam illum ipſum grandem diſcipulum M. Tullium Ciceronem omnibus paginis dicendum virum; quo minus me tædere poteſt poſt tot verba de eo ſcripta dictaque, ſi nunc rurſus eum attingam, cujus familiariter tractandi nulla ſatietas oritur. Vitæ ordo, honorum proceſſus, ſecta in republica, robur ſtudiorum & varietas ita memorantur ubique, & tanto numero ſunt, ut nec queant nec debeant in hac charta delibando violari. Satis erit, ſi hoc agamus; inque eodem memini conſtitiſſe partem operæ, qua ante annos quinque exercebar, ut abacta fraude tot chartarum Ciceronem mentientium, veri Ciceronis conſpectu frueremur. Ab illis autem quæ tunc dixi, tantum abeſt, ut quicquam ſententiæ mutaverim, ut omnino omnes gemmas contemnam præ veritate iſtorum duorum nummorum ſane fideliſſimorum. Id quod edere audeo nunc longe majore cum fiducia, poſtquam gypſo expreſſam marmoream veterem Ciceronis faciem ex porticu illa percelebri Sereniſſimi Magni Etruriæ Ducis, illa porticu ſolum verum admittente, frater mihi devexit, apprime omnia lineamenta ſimillimam. Unde eſt, ut neque hanc formam in Muſeo Romano ex gemma ſardonyce Exc. P. Gaſparis Altieri venditatam pro Cicerone agnoſcere valeam, quum nihil omnino vivaciſſimi vigoris ejus ac lætitiæ præferat, quæ ſumma in Cicerone ad jocos lepidiſſimo fuerunt, quod ex Plutarcho notavit etiam Jo. Faber; neque naſus aliaque ad Ciceronem appropinquent. Sed omnia etiam intercedunt, quo minus pro Cicerone adſpici poſſit ille, quem exhibuit Caninus, alieno certe toto ejus filo & naſo nimium quantum incurvato ac projecto. Multo minus ut me urat inertiſſima petitio in Theſauro (quem propterea debuiſſe exire apparet, ut prior probaretur carbonum & vanitatis plenus) Brandeburgico: quam ſicut leviſſimo negotio declinaverim, ita & ſcripti & ſcribentis ludibrium ſine luſu adſpectare non potero, cui hic locus non eſt. Caput rei eſt in Cicerone. Ad hunc ſufficit, ut ſciat viro inter Helvetios doctiſſimo, qui Lutetiam petebat, rem a me indicatam adhibito utroque Theſauro ac Cicerone meo, & contendiſſe, ut ibi exigeret, qui his verbis reſpondit die 13 Octobris MDCIIIC. *Diligentiſſime gemmam, cui Ciceronis vultus inſculptus eſt, inſpexi conſideravique. Verum in ea nihil deprehendi eorum, quæ ei inepte tribuit. Et adeo quidem hominis nugæ a gemma iſta alienæ ſunt, ut riſum nemo eorum continuerit, qui illam cum libro contulerunt.* Reliqua ſuis temporibus committantur: nam Ciceroniana iſta augeri deſiderant.



CN. POMPEIVS MAGNVS
bellis externis victor, civili infelix.


CN. POMPEJUS MAGNUS.



UUM interim ingenti ad gloriam impetu ſe erigit ille ipſe Cn. Pompejus, firmus reipublicæ civis, & ab prima juventæ face probatus legum ac libertatis vindex. Sic ille & per militaria ſtipendia & per civilia munera omni occaſione ſe geſſit, quicquid pulchrum & ſpecioſum illa tempeſtate exiſtimari poterat, in illo id perfectum eſſe judicans populus univerſum amorem effunderet. Quo inſtructus non regionem, non hominem reliquit, quin laudis ſuæ fama impleret, in quibus duos illos, qui modo anteceſſerunt. Et quantus iviſſet ad poſteros, ſi poſt adjutam acriter reſtitutionem quietis per Italiam, poſt Hiſpaniam, Africam & Aſiam vincendo calcatas elegiſſet ſeceſſum, nec ſcelerato tempori & perverſis ingeniis illam oris probitatem & tantæ auctoritatis ſplendorem commiſiſſet! Unde contagio fœdatus & infinito ambitu mente depravata, quum ſæpe in ſenatu ſapientiſſimos & optimos viros coegiſſet gemere, ſecum patriam adflixit, quæ longa narratio eſt. Laudat vehementer hanc faciem ex jaſpide viridi expreſſam Jo. Faber. Sed & aliam magnopere venditat in amethyſto; quam quia Cl. Gevartius in lineas excepit,




eam hic appono. Certe apparet longe excitatior iſta ſpecies, & tamen ſeni propior. In qua tamen ut offendaris, facit frontis altitudo, cujus ſpatium longe magis arctatum apparet in nummis, majore fide & cura, ut opinor, cuſis publice ad veram effigiem ſervandam, & hinc proniore fide ſpectandis, quam artificum privatorum gemmeæ ſculpturæ ſibi arrogare poſſunt. Ego ſane relictis his Pompejum ipſum in nummo Naſidii, cujus monetam apparet eſſe exactiſſimam, cernere mihi optime videor, eoque ſatis oculos paſco.


M ATIVS BALBVS PR
ATIVS BALBVS
Iulii Cæsaris affinis


M. ATIUS BALBUS.



QUI Sardi effigiem indulſerunt publico, per eoſdem quoque imaginem hanc Atii ſpirare, ut oportet, fatemur. Exſudaverat enim jam induſtria hominum doctorum, ab Suetonio præſertim ſtimulata, ut colligerentur ea, quæ de Auguſti materno avo cognoſci ex antiquorum ſcriptis poterant, præcipuam huc ubertatem afferente Cicerone, ut in ipſo ſenatu inprimis honeſtum virum fuiſſe pronuntiatum conſtaret, nec obſtitiſſe Aricinam originem & municipalem tenuitatem, quo minus in familia ſua numeraret multas ſenatorias imagines, quibus arctiſſime adſerebatur etiam non tantum Magni Pompeii ſtemmati, immo vero & ipſi, qui nobiliſſimam majoribus dabat imaginem. Neque oportet id in Aricino municipio mirari, nedum de eo ambigere, quum ſicut idem Cicero non dubitavit id appellare ſplendore municipum honeſtiſſimum; ita quo maxime Suetonius illuſtratur, conſtet ex Feſto Pompejo Manium Ægerium *Nemorenſe Dianæ conſecraviſſe, a quo multi & clari viri orti ſunt, & per multos annos fuerunt, unde proverbium; Multi Manii Ariciæ*. In quibus ſane potuerunt etiam prænitere quidam Atii. Quin nec Servius omiſit Virgilium ex illis Philippicis & Caſſii Parmenſis exprobratione illuſtrare, ut ſic quoque huc ſymbolam aliquam conferret. Unde factum eſt, ut licet maternæ farinæ & Aricinæ matris memoria exſtaret; tamen ſi qua ſunt inde ſtigmata, ea omnia ab ſtudio & exprobrandi libidine potius proveniſſe, quam ex vero appareat, & credatur Auguſtus etiam juſte ab Atia fieri princeps ejus ordinis, quem majorum plurimi ornaverant. Ipſe vultus Atii, uſque ad præturam progreſſi, deerat, quem duo nummi denique ſervaverunt; nec facile dicam, per ipſum poſtea Auguſtum cuſi, an ſtatim poſt Sardiniam provinciam, ut videtur, ab eo adminiſtratam, ſive prætor eam ſortius fuerit, ſive poſt præturam in urbe geſtam, quod magis crediderim ex verbis Suetonii relationem dignitatum ejus continentibus, *functuſque honore præturæ inter vigintiviros agrum Campanum lege Julia plebi diviſit*. Inter quæ in Pigianis annalibus ponitur, ſed addito tamen *circiter*, intervallum triennii, quod ex illis verbis elucere non videtur, & ferme junctim præturæ geſtæ crediderim fuiſſe annexum. Hanc collectionem ſpero concedet mihi, quiſquis conſideraverit verba ejuſdem Suetonii in Julii capite XXIII. ubi ſimiliter relaturus proceſſus honorum & temporis, utitur his verbis *functus conſulatu*, & Tiberii cap. IV *prætura functus*, ut quæ res illum honorem proxime ſequutæ ſunt, narret. Doleo interim tanta varietate hanc faciem inter iſta duorum nummorum ectypa jactari, ut ſi Triſtanum cum Patino compares, nihil ferme congruum invenias.


MARRIVS SECVNDVS


M. ARRIUS SECUNDUS.



NE contemnamus quod unicum præbetur ab moneta Romana indicium viri certe ſuo tempore etiam excellentis, & ab Fulvio Urſino in publicum prolati. Ut enim ex Cicerone ſatis conſtant Arrios exſtitiſſe ipſius ætate viros quoque aut honoratos prætura, aut ad conſulatum adſpirantes, ipſique ex eis unum amicum & familiarem, cui prænomen Quinto fuerit aliquoties ſignato nomine; item ex inſcriptione docuit Urſinus cognomen Secundi uſurpatum ab eis; ſic fides nummi dubitari non poteſt in hoc, cui prænomen Marcum tribuit: nec de eo, cujus capiti circumferendo & oſtentando data eſt hæc fabrica, aliquid exiguum imaginari oportet, quum & in amethyſto pulcherrima tanquam gemma annuli, quo ipſe ſignare ſolitus fuerit, idem cerni tradat Jo. Faber. Sed præſertim ad dignitatem hujus noſcendam conferunt illa, quæ in tergo nummi ſignata vi-



des, ideo his adjuncta. Neque enim ex eis recte fingas coronam & haſtam puram, quibus donatus fuerit ob caſtrorum portam ab irruptione hoſtium defenſam, ut interpretabatur Urſinus, in tertio ornamento exiſtimans cælari clathros, quibus portæ ac feneſtræ muniebantur. Singula nequaquam tanti, ut argenteo monumento vel digna fuerint; vel Romani tantopere jactaviſſe credantur. Itaque merito ab his diſceſſit Patinus, & in nummo recens per ipſum edito, & propterea hic inſerendo, quia in una area differt, Fœcialis notas apparere judicans haſtam præferratam ac præuſtam ſuppoſuit cum accenſi valli flammula eminente neſcio qua. Quod quidem & ipſum tale eſt, ut nullius mentem conciliare poſſe opinor, quum etiam, ut aperte loquar, in eo vere per literas ſit Fortuna populi Romani excuſa. Quæ vero illic itidem ſunt in tergo, prorſus exiſtimo indicare coronam & ſceptrum cum veriſſima ara, in qua vides clare ardentem flammam; aræ autem lateri ſtella inciſa eſt, ut ſolet id varie ornatum occurrere: ut ita ſi non eſt laurea, myrteam meritus fuiſſe videatur, ac Imperator fuerit ingreſſus urbem ovans ferens ſceptrum & ex more hoſtiam immolans.



NI
SAS
P. et C. SASERNAE
fratres milites Cæſaris in
Africa.

SASERNÆ FRATRES.



TA contigit in hoc nomine, ut ſive fratres ſive pater ac filius, certe bini in ejuſdem artificii peritiam & uſum concurrerent. Quemadmodum enim in re ruſtica laudantur Varroni & Columellæ & Plinio pater filiuſque iſto nomine, ſic in uſu rei bellicæ nominantur in bello Africo Julii Cæſaris Publius cum fratre; quorum mentio quum conſiſtat circa Leptim & Ruſpinam urbes, quas præſidio tenuerunt nihilque aliud quam defenderunt, hinc tamen tam benevola potuit eſſe erga eos prolixitas Canini, ut ne illorum vultus intercciderent, cura neſcio quorum artificum proviſum exiſtimet, in gemma (corniola) ſignatoria ſed exigua inciſi, aliquid Africum in galea & barba animadvertente ſolerte ad talia viro, qui edidit. Cæterum ea ratione quandam interpretationem accipiunt literæ SAS. aut duæ reſiduæ NI plane ſpernuntur, appoſitæ tamen ſine dubio ad deſignandos eos vultus. Quod ſi Varro aut Columella in principio rei ruſticæ ſicut ponunt Scroſam Tremellium, ita paulo ante etiam præter cognomen *Saſernas* poſuiſſent ſimul nomen familiæ; aut Cicero etiam in Philippicis vel ad Atticum Pliniuſve tale quid feciſſent; ſciremus utrum & hi fuiſſent Hoſtilii, quos demonſtrant nummi, an vero fuerint alieni ab illa ſtirpe, quod certe videtur ſuadere illud appoſitum NI, quæ literæ ad Nigidium aut Ninnium aut ſimiliter incipiens nomen volunt id cognomen trahere. Quorum tamen ſi eſſet prius, Cicero iſta Philippica XIII deſcribens unum Saſernam in Antonii cohorte aliquod dediſſet indicium; de poſteriore quod adſeverem, nihil habeo: ut fortaſſis Nigrum & Saſernam videas. Itaque plena hæc debeatur gratia ſculptori, quum adeo obſcurum ſit auxilium ex ſcriptis hujus notitiæ adjumentis.






CN. POMPEIVS MAGNI F.

in Hiſpania occiſus

CN. POMPEJUS FIL.



UUM jam furor civilis omnes fere Romani imperii regiones pervagatus esset, & ex Africana clade cruentus ad pompas repetisset urbem Julius, denique reverti oportuit in Hispaniam, quam in principio belli statim concussam brevis resoverat quies. Reliquerat enim Cæsar illic post ejectos Pompejanos exercitus præsidia, quorum nonnulla prona ad res novas ostenderant se Scipioni Africam curanti; a quo missus hic ipse Pompejus, quum ultioni paternæ immori satius cum fratre duceret, quam sibi consulere; ut fatalem multis arenam occuparet, per prosperos, per adversos casus tamen Bæticam fere in ditionem suam redegit, atque ita Cæsarem compulit Roma exire, ut postremum hoc bellorum civilium discrimen tentaret. Notum satis est, quæ irritationes animorum denique prælium properaverint, & qua fortuna profligatum. Ab cujus cæde licet evaserit Pompejus, tamen in nave, quam spe fugiendi conscenderat, sinistrum crus sauciatus, aut etiam talo intorto vel, ut alii, secto per propriæ manus errorem, quum a fuga prohiberetur, quin & humeros vulneratus, lectica delatus ad mediterranea, ibi in silvæ exeso loco instar speluncæ & sic tamen pugnans & inquisitores abigens periit, si Flori breviario credimus, ad Lauronem oppidum; caputque præcisum Cæsari ad Hispalin adlatum est non mitiore fato, quam quo paucis ante annis vel mensibus fuerat usus pater. Id ipsum hic expressum vides ex gemma corniola, ut testatur Faber, pulcherrima, valde simile illi, quod in nummo aureo omnes tres Pompejos referente cernitur, in quibus hic vultu oblongo facile dignoscendus ab patre & fratre medius utriusque interiit.



BBVT
M.IVNIVS BRVTVS
Percussor Iulii Caesaris.

M. JUNIUS BRUTUS.



ITA Cæſar confectis & ſopitis civilibus turbis & Romam regreſſus, ut tantarum rerum gloria & gaudio frueretur, non ſicut arma quidem compreſſit, ita animos etiam pacare & manſuefacere potuit. Ipſe quidem ſpectacula oculorum populo, plurimis honores & qualemcunque lætitiæ cauſam præbebat, ut abigeretur pœnitentia mutati ſtatus. Viciſſim quidquid Romæ erat, Cæſar unus conſpiciebatur; huic acclamabat populus; hunc, non rempublicam, quippe quæ nulla & rapta erat, cura ſua complectebatur ſenatus, tamque frequentibus ad honorem decretis Cæſarem extollebat, ac ſi nihil aliud agi oporteret: adeo ut partim oriretur invidia; partim indignarentur ipſi, quibus bona conferebantur, ab uno tanta præſtari poſſe. Vel maxime honoratus erat ab Cæſare M. Brutus ſeu judicio & æſtimatione virtutis, quæ mirifice & aſſidue hujus animum occupavit, ſeu amore, quo Serviliam matrem ejus, forſan & ſororem deperibat, unde jam antea contrarias partes foventi quoque ignoverat. Ille igitur & nomine referens primum Romæ liberatorem, ille Catonis in Utica mortui gener ſimillimus, & ab uxoris virili robore exſtimulatus, ut etiam clamoribus ac libellis vulgi, auctor eſſe potuit vindictæ Pompejo præſtandæ in curia ejus & Ceſaris in aurea ſella occidendi. Quod ita præſtitit, ut & ipſa illa magnifica curia velut pulcherrimo facinore (propter quod in hac eum parte colloco, non tempore Philippenſis prælii) funeſtata, quum aliquamdiu fuiſſet obſtructa, mox ſub Auguſto ſtatua ipſius Cn. Pompeii inde exempta, in latrinam quoque fuerit converſa; & hos denuo concitos tumultus capitis ſui & innumerabilium aliorum pernicie redemerit: quæ hujus temporis notitia ab infinitis in hiſtoriam collata eſt, ſicut etiam ipſe hic Bruti vulticulus, ut eum vocat Cicero [1], in argento & gemmis frequenter reperitur, honoratæ memoriæ cauſa ad bonos omnes gratiſſimus.

1 Explicante Plutarcho, quaſi ipſe Cæſar dixerit *μὴ δεδιέναι τὺς παχεῖς τύτυς ϗ κομήτας, ἀλλὰ τὺς ὠχρὺς ϗ λεπτὺς ἐκείνυς, Βρῦτον ϗ Κάσσιον ἀποδεικνύμενος*, in Antonio.




SALVST
AVCTOR
CRISPVS SALLVSTIVS
Crispus Romanà primus in historiâ
In Thesauro Christinæ Reginæ Aug

ATILIUS CIMBER.




UIC optimo Bruto arctiſſime agglutinari debet hoc Cimbri , quod pro vero conſtat , cognomen ; ac neſcio an non potius anteponi, quum licet in opere maximam & æternam famam habituro dux narretur & auctor fuiſſe Brutus , at Cimber incertum qua de cauſa concedente Bruto primas in peragendo partes ſuſcipere atque etiam exſequi ſuſtinuit . At qualem ejus perſonam publico obtulit Triſtanus ? utrum imaginabimur certe Cimbrum adſpectare , an Longobardum ? At noſter quum fuerit ex gente Romana , quum quidqui egerit , in eo admirationem meruerit Ciceronis , quod immemor beneficiorum , memor patriæ fuerit ; etiam quum ab eodem dicatur claſſem in Bithynia comparaviſſe , rem prorſus Romani , non Cimbrici , nec Longobardici operis , atque adeo certe Romanus fuerit , an dico tanto faſtidio contempſit morem patrium ſui temporis , ut pro puro , grato & ingenuo mento maluerit inde demittere adeo pinguem ſetarum metam , & hinc ſe æqualibus conſpiciendum præbere ? An tali vultui tunc acceſſus in ſenatum cum reliquis Tranſalpinis ab Julio datus fuit ? Et hi tamen depoſuiſſe ibi bracas dicuntur ; hic Cimbricam perſonam retinuit ? Quod certe illi perinde conceſſum reor , ac fida eſt moneta , quam Triſtanus in libros ſuos admiſit . Poſſideo ſane etiam ejus exemplar argenteum ; ſed quod quilibet non hebetior ſtatim ex improba officina prodiiſſe dicet ſentietque . Quo precor exemplo & cui bono ponitur illic punctum ante primam literam vocis . ATILIUS ? Sic enim expreſſit Triſtanus , & plane exſtat in ipſo nummo ; quem hinc etiam æque fidum conjicio, quam eſt ille apud Gorlæum tab. 21 in CRASSUS DEVIC. SPART. ubi pariter barba collum totum prætexit , aut alter tab. 45 , in quo CIMBRUS cum pileo , ſane jam glaber . Ut adeo ille ſive Atilius ſive A. Tilius venditet prænomen iſtud nullo fidei vel auctoritatis auxilio , perinde ut ſic ſe genti alienæ hinc inſerit ; niſi quod hactenus ſe oſtendat fuiſſe Tilium , prout apud Appianum principio libri IV Civilium Bellorum in MSto Mediceo legitur ΤΙΛΙΟΣ ΔΕ ubi vulgo contra fidem codicum , ut opinor , ex arbitrio edentium exhibetur ΤΥΛΛΙΟΣ ΜΕΝ ΚΙΜΒΕΡ, quomodo ſuſpicari licet in aliis quoque libris , ubi mentio ejus occurrit , appellari ; ſed librum tertium ſolum collatum habeo . Etiam in optimæ fidei codice MS. Dionis itidem Mediceo ipſe legi & notavi in libro XLVII ΤΙΛΛΙΟΝ, ut videantur liquidam modo geminaviſſe , modo unam & ſimplam maluiſſe . Itaque ſicut illum Cimbrum cognomine ſtatuimus vere Romani ſanguinis , & gente Tilium : ita non credimus adeo abſurdum ab communi vita & ratione æqualium Quiritium fuiſſe , aut voluiſſe

coli cultu abhorrente ab omni Cæſaris aula, cui aſſiduus ſolebat intereſſe, Cimbrumque ut cognomine, ita etiam ridenda facie urbi Romæ exhibere: Omnia eo vergentia, ut laudari debere opiner perſpicaciſſimam diligentiam Tranſiſulani amici mei & nunc optatiſſimi per omnia collegæ Jacobi Perizonii, hunc Tillium vel Tilium per varias ſed veras ſuſpiciones reſtituere in Animadverſionibus Hiſtoricis prægreſſi.


ATILLIVS CIMBER
inter Conſpuratos in Caeſarem

C. SALLUSTIUS CRISPUS.


TA horæ momento per eos Julius Cæſar & vita & dominatione, cujus brevem nimis diem modo habuit, excidit. Sed dum ſic vexantur reſpublica & libertas Romana, vigebat interim Salluſtius, non ille quidem optabili tenore fortunæ atque etiam perpetua propoſiti ac mentis firmitate ad ætatem conſtantem provectus, ſed ambiguo ſatis æſtu ſæpe jactatus, & nunc inter procerum violenta ſuffragia, nunc in Cæſaris potentia vices varietatis humanæ expertus. Unde nec eadem fama omnes vitæ ejus articulos proſequuta eſt, nec in uno tantum vitii genere; adeo quidem ſæpe infauſta, ut ob adulteria & virgis cæſus & cenſorio opere nudatus ordinem ſenatorium amiſiſſe, provinciam Numidiam quoque exhauſiſſe referatur. Quæ vera ſeu falſa, ipſe tamen oſtendit ad poſteros ſuperaviſſe ingenii munere, quo quum nihil æqui & modeſti juris relictum eſſe cerneret, ſibi autem multa adverſa in ambitione, ad quam imbecilla ætas traxerat, contigiſſe recordaretur, republica omiſſa ad bene dicendum & otium non ſegne & iners, ſed plenum commodi ad memoriam patriæ ſe retulit. Cujus mutationis ſapientiam nemo ſatis mirari potuit, quum ad eam rem tanta eſſet facultate inſtructus, ut immenſas laudes inde ab omni tempore fuerit adeptus, fidei, verborum, ipſius ſtructuræ, ac ſapientiæ florentiſſimus & aſſidua ſit ejus commendatio in ſtudiorum cultu. Quid enim opus eſt habere rationem eorum, quibus aliquid in noſtris rebus ad perfectionem proxime accedere diſplicet, quum ipſi nullam ejus partem æquent? Hos ipſos & ſententias eorum eximi memoriæ præſtat, & nos illecebra eorum, quæ ſuperſunt, delectatos vovere, ut ipſi Hiſtoriarum ejus, unde tam docta fragmenta colliguntur, libri renaſcantur, pari fati felicitate, qua ipſa facies ejus noſtro ſæculo ad ſpectandum reſtituta eſt, omnibus partibus vegeta & egregia; prout eam ſervavit per aliquot ſæcula nummus in Theſauro Chriſtinæ demum publicatus. Juvenilior quidem videtur ejus ætas; hoc tamen loco poni debuit, quoniam abhinc reſiduos octo annos vitæ ſcribendis illis præclaris meditationibus dare incepit, ante prælium Actiacum quarto anno interceptus.


M. ANTONIVS
turbis civilibus, amore Cleopatrae nece Ciceronis
celebris sed improbatus

M. ANTONIUS.




HUNC enim poſcit ordo temporis ac cladium, quæ poſt necem Cæſaris urſerunt miſeram Romam, illum unicum auctorem inſcribentes. Felix Roma & nimium felix fuiſſet, ſi in prima ætate quum pater hunc filium nimis ærarium & obæratum domo exigeret, mœnibus etiam & jure civico expuliſſet; aut ipſe ſaltem ſpecie virtutis Romanæ, cui ſe propinquam facit improba audacia, in Syriaca & Ægyptia expeditione multis etiam bonis non abſtuliſſet oculos. Ille autem variis artibus irrepens præſertim in militarium hominum mentes, quum egregius fuiſſet in occupandis anguſtiis apud Peluſium, etiam ſiniſtra acies in campis Pharſalicis illi demandata declaraviſſet Cæſaris de bellico Antonii robore judicium ac fiduciam; mox diductis in alteram diſcordiam Romanis omne quidquid habuit ingenuæ & humanæ indolis, ſibi excuſſit. Totus enim abhinc ad flagitia, ſævitiam, & patrii nominis dedecora, eo majora, quo liberius nunc agebat, degenerans, hoc eſt, in laſciviam vere Ægyptiam, crudelitatis & impotentiæ plenam, converſus non deſtitit, quin pariter cum ipſo omnem reipublicæ ſpem & formam peſſumdediſſet. Hinc illa merito in iſtum congeſta, ut ſequentis ſæculi fuerit fax, turbo, procella, ſcopuluſque & nodus ac mora publicæ ſecuritatis vituperaretur. Hujus cum aliorum gemitu & vexatione ſic ludibundi Herculis (cujus & filius Anton credebatur genti iſti nomen præbuiſſe, & virile vultus decus huic Antonio inſidere) caput venditat Faber ex corniola quadam antiqua expreſſum, multo artificioſius, quam id quod reperitur in nummis ejus aureis, argenteis, æneiſque. Quod dubito an pro vero agnoſci oporteat; quum licet ſit diverſitas monetariorum, tamen omnes in hoc conveniant, naſum non ita fuiſſe projectum & eminentem. Fuit ille quidem incurvatus [1], ſed plane alia ratione, utque preſſior tamen



inhæreret vultui, cujus latitudo erat eximia: quod ſane utrumque in pluribus etiam Herculis ſimulacris, præſertim majoribus,

1. Plutarcho jungitur πλάτος μετώπου καὶ γρυπότης μυκτῆρος, unde ἐδόκει τοῖς γραφομένοις καὶ πλαττομένοις Ηρακλέους προσώποις ἐμφερὲς ἔχειν τὸ ἀῤῥενωπόν.


obſervare licet , ubi prorſus notabis inæqualem naſi progreſſum non certe ad hanc formam , ſed eam , quæ eſt in nummis ipſis ; & ut e veſtigio manifeſteque conſpici in hac charta queat vir & iſto tempore Romæ & mox per omnem orientem tantopere conſpectus , unus ex illis nunc apponi debuit , quem cum cura exegi .


L.LIVTNEIVS REGVLVS
Praefectus Urbis


L. LIVINEJUS REGULUS.




In quo nunc ponendo ſequor non tam tempus, quo vixit, quam quo cuſam eſſe hanc monetam credunt viri docti. Illis, qui ſub Urſini nomine Imagines Illuſtrium ediderunt, non modo placuit ſic deviare, ut proferri ab ſe crederent M. Atilii Reguli faciem falſo nomine ſibi imponentes; ſed quum fere cæco appareat hanc prorſus eſſe eandem, niſi quod juvenilior, ab ea tamen diſtinxerunt, quum plane ſit eadem, & ab ipſo Urſino in prima Familiarum Romanarum editione notetur, quin omnes illi denarii ab L. Regulo filio cum imagine patris ſignati fuerint, dubitandum non eſſe. Quæ igitur cupido aut venia ex illis Atilium ſeparandi, idque velut ex ſententia Urſini? Scribit itaque etiam Faber L. Regulum filium L. Livineii Reguli, tempore triumviratus, quatuorvirum monetalem fuiſſe, ut colligitur ex nummi aurei inſcriptione IIII VIR A. F. F. & in memoriam patris, qui Cæſari coætaneus fuerit, hanc a filio monetam fuiſſe factam. Nec cur inde diſcedam, habeo quidquam, quum & Pigiani annales ad annum DCCI de uno tantum in his nummis Livinejo loquantur; ſed quidquid fere illud eſt, nonniſi conjectura fulcitur. Si diſcedimus ab eo, quod vel diſerte vel per ænigmata incluſum eſt, certe nihil de honoribus eorum recte clareque ex ſcriptoribus rerum nobis conſtat. Ibi videmus & ſellam curulem appoſitam, ac cum titulis Præfecti urbis vel Prætoris.


L.SERVIVS RVFVS

L. SERVIUS RUFUS.



EQUE enim alio titulo designare præclarum hunc Romæ civem debui, quam qui ab ipsa moneta legentibus offertur, contra quam fecit apud Gallæum Joh. Faber, qui formatus ab declaratione Ursini, etiam in verba ejusdem juravit. Ita credunt illi esse ipsum Ser. Sulpicium Rufum, gemino scilicet prænomine, qui in legatione versus Mutinam ab M. Antonio obsessam mortuus tot laudes ab Cicerone meruit. Cujus vita licet forsan incurrat in ætatem eandem, qua hic L. Servius Rufus vixit, & qua iste nummus cusus fuit, non est tamen idem, sed longe alius, quum dubitari nequeat, quin SERVIUS sit nomen familiæ, cui inhærens modo SERVEJUS, modo SERVAEUS appellatus occurrit, aut perinde ut in nummo legitur. Et certe tam Servæus, quam Servius apud Tullium citatur, etiam Rufus aliquis agnoscitur in Epistolis, ut in hac istius viri ignoratione difficilis omnino cura mihi sit ad eligendum & demonstrandum; nisi hactenus, ut hinc removeatur omnino ille, qui ab istis credebatur designari L. SERV. SULPICIUS RUFUS, qui fuisse nullus videtur. Nec minor varietas est circa ipsum vultum, ab Ursino, Gallæo, & Patino editum, quum hæc sit deducta ex Gallæo nullam partem congrua ei, prout ponunt isti duo; nec mihi nummus ad manum est, unde hanc potius de tabula tollo.


RESTIO
M. ANTIVS RESTIO.


C. ANTIUS RESTIO.



Hujus quoque ut conſpiciendi inter Romanos viri faciem publica eorum moneta ſacravit jam ab Urſino edita ac per Gallæum Fabrumque & Patinum repetita, nec procul ab hoc tempore cuſa. Quod enim conſtat, in hac triumvirali tabula etiam proſcriptus fuit Antius Reſtio, & memoranda ſervi, quem ſtigmate notaverat, fide in Siciliam evaſit, quod narrat Appianus & Macrobius & ex Dionis libro XLVII Xiphilinus, ſed nullus Cajum prænomen addit, quod venditat Urſinus. Altera hujus Antii notitia eſt per legem ſumptuariam, cujus præcipuum caput erat de eo qui magiſtratus eſſet, magiſtratumve capturus eſſet, ne quo ad cœnam, niſi ad certas perſonas iret, ut notum ex Gellio lib. II cap. XXIV. atque inde teſtatur Macrobius lib. II Saturn. cap. XIII, eum quoad vixit foris poſtea non cœnaſſe, ne teſtis fieret contemptæ legis, quam ipſe bono publico pertuliſſet. Itaque hæc duo ejus indicia quum collegiſſet diligentiſſimus Urſinus, eadem congeſſit & Faber: quum interim nemo eorum inquirat, quo in magiſtratu & quo jure legem illam tulerit; omittantque Pigiani annales. Et quidem ex recenſione Macrobiana patet id contigiſſe medio tempore inter Lepidi Sulla mortuo conſulatum, & edictum Antonii, qui poſtea triumvir fuit. Quum igitur Lepidus Conſul fuerit anno urbis DCLXXV, Antonius Magiſter equitum fuerit Julio Cæſare Dictatore anno DCCVI, patet triginta & unum annos inter has temporum metas interceſſiſſe. Eo autem magiſtratu id videtur feciſſe Antonius, dum dicitur propoſuiſſe edictum, quod nullo ante magiſtratu facere potuit, niſi quum paulo ante bis tribunus plebis fuit, alterutro anno fecerit. Hinc naſceretur dubium, an ea duo in eundem Antium ſint conferenda; certe qua id fide conſtiterit viris doctis, non ſatis video, niſi quod valde ſenem hunc An-



tium Reſtionem exhibeant ex nummis, qui certe cuſi ſunt ante imperium ab Julio occupatum. Sed & hujus Reſtionis admodum ſenilia, ſed vera, in vultu lineamenta gratum erit hic ſpectare, quum chartæ priores ſibi ſatisfeciſſe videantur, ſi modo ſenem ponerent, alieniſſimum ab Reſtione in nummo.



COL IVL AVG PHILIP
DIVVS
AVG
MEMORIA
Belli Philippensis.

BELLUM PHILIPPENSE.



IRCUMSPICIENS aliquam hujus graviſſimi negotii memoriam dignam notatu, deſungi me opinabar in conſpectu ſolius Bruti, in quo ſumma res fuit ſita, perinde ut ad reliquas pugnas commemorandas ſufficiebant ſoli ducum vultus, in quibus facile memoriæ occurrunt quælibet geſta. Sed Brutus jam antea locum petierat tenueratque, ut ſic vel ibi ſimul hanc recordationem ſuſcitare deberet, vel mentio tota hujus rei præteriri. Ab hoc æſtu vel neceſſitate liberavit nos præclara vetuſtatis munificentia conſervato nummo variis temporibus per Philippenſes cuſo, prout Patinus ſub Claudio eum exhibet, Vaillantius etiam ſub Veſpaſiano & Hadriano, atque inde hujus typum poſui, quippe clarioribus lineis & acriore cura ſimulatum, ut annotarem, quod vel præcipuum in eo negligitur ab interpretibus, Vaillantio ſic eum deſcribente *Duæ figuræ baſi inſiſtentes, altera virilis paludata, dextram elevans, læva ad latus; altera muliebris ſeminuda cum pallio, dextra coronam ſupra caput prioris imponens*. Quæ etſi non eadem, his tamen ſimilia prorſus ad duos reliquos nectuntur. Sic & alii, ac coloniæ privilegiis inhærent, tanquam illa quadrata, quorum media eſt baſis, nullam mererent attentionem. Atqui ex eis omnem cauſam hujus hiſtoriæ pendere opinor, & ſervare memoriam originis, unde urbs Philippenſis tanta titulorum ſpecie ornari meruit. Sunt enim aræ per loca caſtrorum Octavii & Antonii erectæ vel dum illic tenderent, vel poſt prælium feliciter profligatum ad memoriam poſteritatis. Itaque unice hic nummus illuſtrat verba Suetonii & ab ipſo Suetonio ipſe illuſtratur in Tiberii capite xv. *Ingreſſo primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidit, ut apud Philippos ſacratæ olim victricium legionum aræ ſponte ſubitis collucerent ignibus*. Victrices ſcilicet legiones fuerunt in duobus caſtris, quorum ſinguli Imperatores ſtatuerunt illic ſingulas aras, ut caſtrorum apud Actium locus ſic poſtea ab eodem Octavio conſecratus fuit Marti ac Neptuno, procul dubio aris etiam exſtructis. Itaque non hic aras, ſed in eis contemplari te finge ipſa utriuſque ducis caſtra, atque adeo convenientiſſimam hujus temporis notitiam, quæ quærebatur.





Q. LABIENVS
PARTHICVS IMP
Q. LABIENVS
Parthorum dux in Syriam

Q. ATIUS LABIENUS.



HUNC quoque inter bellorum civilium duces adverſa coegerunt locum capere duntaxat ea felicitate, ut inde ad noſtra quoque tempora non nomen modo, ſed & vultus propagaretur. Fortuna paterna eum involverat partibus & conſiliis Bruti & Caſſii; qui unde unde contrahentes auxilia ad bellum, quod duobus collegis triumviros intellexerant decreviſſe, hunc ad Orodem Parthorum Regem miſerant, quo bellum juvaret. Sed lentus fruſtrando detinuit virum, ut citius res decideretur. Unde fama adflictarum partium territus & de capite ſuo ſollicitus, ſi intra præſidia triumvirorum rediret, inter peregrinos & barbaros decrevit quamvis obnoxie malle pati, quam quotidie inter populares periclitari. Attamen quieti infeſtus, ſimul Antonio marcente inter Ægyptias illecebras nudamque Syriam ac reliquas illic Romani imperii provincias oſtentante, aliis ducibus & exercitibus circa mala ſua diſtrictis, ipſe cum Pacoro emiſſus, & Syriam omnem excepta Tyro, & Amanum tranſgreſſus Aſiam minorem Caria tenus Parthici juris fecit. Sed ab Ventidio Antonii legato Aſiam intrante non minore velocitate expulſus, quam ipſe eas regiones oppreſſerat, & fuga in Ciliciam facta deliteſcens indicatur Demetrio Cyprum ab Antonio datam regenti, ab eoque capitur, fatis illam perverſam Parthici Imperatoris arrogantiam ulciſcentibus. Hujus expeditionis felicitate hortante vel alii vel ipſe curavit ſtatim (nam quod celeri impetu fortuna adſtruxit, veluti laſcivire inciperet, repente deſtruxit) hunc circa faciem titulum argento etiam ſignari, in ſubactis provinciis incertum an Romæ.


COS
L. ANTONIVS
L. ANTONIVS
Consul.


L. ANTONIUS.



Quasi libenter vidiſſet M. Antonius monetam, quæ ſuum & alterius nomen vultumve junctim circumferret, ita multos nummos verſare licet ipſum incuſum geſtantes modo cum priore Cæſare, modo cum juniore, nunc cum Cleopatra, etiam cum fratre Lucio, cujus effigiem inde licet adſpicere. Quam quum circumdent literæ L. ANTONIUS COS. inde patet, quo urbis Romæ anno id argentum fuerit ſignatum, nempe DCXII, ante quem quum anno DCCX circa finem Novembris triumviratum ſuſceperint, & vix annus in eo magiſtratu nunc elapſus ſit, non ſatis commode ſcribit Faber primo quinquennio triumviratus eum cuſum eſſe, quum non dubitem vix inito conſulatu ſtatim ita Nervam blandiri voluiſſe. Hoc honore igitur ſublatus, quum acceſſiſſet ea felicitas, ut nulla re geſta, tamen de Inalpinis quibuſdam Kalendis Januariis triumpharet, perinde ut antea ſub triumviris cenſuram geſſerat prorſus perfuſoriam, & tentare aliquid contra Octavium auſus eſt & conatu ſimul omnique decore excidit. Stimulatus enim ab Fulvia fratris uxore, (quippe id tradunt omnes, non ſponte commotum) obſtare in Italia Cæſari volens & ſpecioſi propoſiti titulo plurimos ex oppidis, quæ militibus dividenda deſtinabantur, conciens & infauſtis armis denique Peruſiam inſidens, mox dedere ſe Cæſari compulſus fuit. Hoc unicum conſulatus iſtius, quem ne ejurare quidem ei licuit, opus narratur, varia certe fama, Appiano faventem reipublicæ civem exhibente & viriliter loquentem, aliis riſui exponentibus inhabilem negotio ſuſcepto. Id maxime mirum eſt, quod quum inſcribatur huic nummo M. NERVA PROQ. P. & Urſinus tam aperte eruditeque ad Coccejam gentem ante jam traxiſſet, Faber cum ſuis id nomen intelligunt de M. Licinio Nerva Proquæſtore. Sa-




pienter Pigiani annales ſequuti fuerunt Urſinum. His annectere compellor effigiem ejus viri, non prout Urſinus, aut Patinus, nec prout Gallæus dederunt, ſed ad verum ipſius nummi exemplar, ut egregie appareat aliquid fraternum in Marci & Lucii vultu ſediſſe.


SEX.POMPEIVS.MAGNI.F

SEX. POMPEJUS.



Hi omnes dum pari impetu , ſed eventu diſſimili , cauſam ſuam adjuvant , interim elapſus ex Mundenſi clade alter Cn. Pompeii filius , & non modo diu latitans inter fidos illi ob memoriam paternam Lacetanos , ſed etiam ſpem reparandæ fortunæ nactus rebus contra Aſinium Pollionem bene geſtis , Lepido tamen medio inde exceſſit pactus , ut paterna reſtituerentur . A quo tempore vagatus per inſulas & maritima , & quum nihil ab Cæſare concedi ſentiret , bellum & arma meditans omnia ad vires colligendas tentavit . Quæ quum ſatis placerent , ita in Siciliam navigavit , ut univerſam denique tenuerit , & Cæſare variis negotiis diſtento expelli mox nequiverit ; ita ut tandem convenerint Antonius , Cæſar ac Pompejus huic dare conſulatum auguratumque , & ex paternis bonis reddi ſeptingenties HS. cum quinquennali imperio in Siciliam , & Sardiniam . Sed quum hæc quoque felicitas luxuriaretur , poſt ruptam modo , rurſus ſartam gratiam hinc iterum ejectus , & per Aſiam militariter vagabundus ad id flagitii venit , ut ſe dederet ; quod contigiſſe notat Dio Caſſius circa Midaeum Phrygiæ oppidum . Hoc autem caput quum non cenſeatur ea rotunditate aut craſſitie , quæ cernitur in nummis hujus Pompeii ; idcirco Faber hanc imaginem in cameo cælatam prædicat longe majori artificio ſculptam , quam eſt ea , quæ in nummis exſtat ; quod ipſius prudentiæ donabo .



M. AGRIPPA L. F. COS. III
MARCVS AGRIPPA
Primarius Amicus & Gener Augusti Caes

M. VIPSANIUS AGRIPPA.



AGNAM in hoc bello partem habuit ille intima primum familiaritate conjunctus Octaviano Cæſari, tum præfectus copiarum ejus terra marique, & ubique felix, tandem gener ac denique omnia. Hinc ad exornandam urbem & exſtruenda opera publica, hinc ad munera edenda, hinc quoslibet ſumptus faciendos principe viro dignos magnificus ſupra fidem vir. Sed & idem ad Sextum Pompejum enervandum fatalis dux, ut deinceps quoque Antonium debellandum. Unde illa dona aut roſtratæ ex auro coronæ tam ſplendentis in nummis, aut vexilli cærulei; & tantus ordo honorum, ut denique conſors fieret tribuniciæ poteſtatis, hoc eſt, illius excogitatiſſimæ ad Cæſarem muniendum efficaciæ titulum & cærimoniam quoque obtineret: ut ita modis omnibus exiſteret novus quidam Servius Tullius ſub bono Tarquinio. Neque optimum principem invidia circumegit, quum ab ipſo inimici etiam transferrent laudes, & ab Agrippa fugatas eſſe hoſtium naves ipſo tunc ſtertente exprobrarent. Et quam vera fuiſſent auguria ejus, fore ut manſura eſſet reſpublica in iis fundamentis, quæ jacturus fuerit, ſi talem nactus fuiſſet ſucceſſorem? Sed ſic viſum ſuperis. Hanc faciem egregie congruam nummis pro auſteritate & torvitate maxima oculorum, quam præferebat vultus, quum mens eſſet placidiſſima, ex eis petiit Caninus, & ut proximam vivo placuit imitari. Nam & quod frons tanto impetu recedat, etſi ea in quibuſdam exemplaribus recta aſcendat, in aliis tamen video prorſus ſimiliter rejectam. Sed quum Faber ſummopere commendet effigiem ex cameo, ut ait, pulcherrimo, non roſtrata, ut vulgo, ſed laurea corona ornatam, lineamentis mirum in modum diſtantibus, ratio juſſit hanc quoque non negligere, ut cuique arbitratus venia eſſet.






DIOSCORIDES *ANAZARBENSIS*
Medicus doctus et celebris.

DIOSCORIDES.



JULIO Cæsare negotiis aliis intento, prout exigebat cursus vel victoriarum, vel Romanorum insaniæ, mox post ejus necem rebus circa Italiam & Macedonicos Philippos turbatis, Ægyptum suam habebat Cleopatra, tamque potens rerum erat, vel magis impotens, ut Cæsarionem quoque, quem ex Julio genuisse dicebat, triumvirorum permissu regem ei impositum, nunc ingresso ad eam M. Antonio tanquam Novo Libero Patre, regem regum etiam appellare auderet. Quo potissimum tempore vixit Alexandriæ hic Pedacius Dioscorides. Sic enim Suidas ab Cl. Saraceno præmissus in fronte Dioscoridæ, & iteratus ab Lambecio vel definit vel coarctat istos annos, vel vitæ ipsius, vel studiorum quos Alexandriæ egit [1], ut mirer Lambecio magis placuisse, ut scriberet sub duobus primis Romanorum Monarchis C. Julio Cæsare & Augusto vixisse ac floruisse, quam ab Suida descriptam istam notabilem stationem sequeretur, qui id non videtur temere & sine causa fecisse. Quin etiam virum istum magnopere fuisse peregrinatum patet ex multiplici citatione locorum, in quibus singula nascerentur, nunc etiam ex ejusdem herbæ varia appellatione apud diversos populos, ita ut & Romanæ meminerit, sine dubio ΕΞ ΑΥΤΟΨΙΑΣ, non ΕΞ ΙΣΤΟΡΙΑΣ, quod in aliis culpat. Verba tamen Lambecii recoquuntur ab aliis. Hoc excellens ingenium quum protulisset Anazarba, satis memorata & magna Ciliciæ urbs, atque etiam studiis excoluisset, adhæsit denique contemplationi rerum, quæ ad custodiam valetudinis facere possent sive herbarum, sive fruticum fructuumve ac liquorum, de quibus quinque eruditos libros absolvit & nobis reliquit. Nec mireris jam ab ipso Galeno laudatos & deinceps omnibus, quum ipsi de eo satis respondeant, monstrantes quam exacte non ipsarum proprietates communes modo, sed & differentiam ex regionum, ubi nascebantur, indole orientem perfectissime annotent. Hujus igitur digni imagine viri faciem edidit Saracenus in principio operis Dioscoridiani, & ni fallor, ex hac ipsa codicis MSti tabula, quam habere potuit per Sambucum, nisi quod nimis coactam & coeuntem in imo finxerunt, quam non fuisse talem colliges optime ex duobus aliis exemplis ab Lambecio adjectis.

1. Συνῆν δὲ Κλεοπάτρᾳ ἐπὶ Ἀντωνίου.


C. NVMONIVS VAALA

C. NUMONIUS VAALA.



His bellis interfuiſſe Numonium hunc Vaalam ſatis credibile eſt, quum Horatius ad eum (ut quidem cenſet Urſinus & ex eo Faber) epiſtolam xv libri i ſcripſerit, ita ut ſe in ea epiſtola juvenem appellet. Bella autem civilia Horatio octo & triginta annos nato deſierunt. Ita patet proxime belli civilis tempora epiſtolam iſtam ſcriptam eſſe, & quum ipſe Horatius puras ab nefariis armis manus tenere nequierit, quæ fides de hoc Numonio præſtabit? præſertim quum & cognomen ejus de hac re affirmet, ſiquidem ab ipſo partum primo eſt. Faſti autem nullam mentionem hujus habent, ut ex meris & diuturnis ſordibus emerſiſſe videatur. Sed etiam bella hos homines velut inſita propenſione ſequutos fuiſſe patet ex legato Vari, ut appellatur ab Vellejo, deſertore ſui ducis & fuga fœda Rhenum ingreſſi, ſed fortuna ulciſcente occiſi. Hunc quoque eundem huic noſtro eſſe ſcribit uterque illorum quos memoravi, quum clades Variana contigerit anno ſeptimo decimo ab morte Horatii, anno LIX defuncti, ut valde longævum faciant eum, & magis videatur junior. Notabilis eſt altera ejus nummi area tum ob vallum, tum ob diſcrepantiam interpretum in eo conſiderando; quæ cauſa fuit e-



jus ſimul interponendæ ex meo nummo. Scribit enim Urſinus exprimi virum pugnantem pro vallo, ut ab defenſo vallo cognomen id venerit. Sed recto Torrentius notavit virtutis cauſa ei datum, qui primus in ea gente ſic cognominatus eſt, quod hoſtile vallum fortiter oppugnaſſet. Manifeſte enim vallum cingit duos interiores; & Vaala externam valli faciem aggrediens, ſcuto prætenſo, conatur eruere ſtipitem, ut patefiat introitus. Quod ſi bene video, contigit in bellis civilibus, quum omnes tres ſint ſimiliter armati: & ipſi pali videntur tantum habere in ſummo exſtantes ramulos paucos aut nullos, ex Romano more, non Græco vel peregrino.


PVB VIRGILIVS MARO
Mæonium quisquis Romanus nescit Homerum
Me legat, et lectum credat utrumque sibi
Apud Fulvium Ursinum in nomismate æreo.

P. VIRGILIUS MARO.



IC dum inter illos fervent arma , quæ merito exſecrabantur multi & meliores ; non deſtiterunt hi ipſi alteram Romanæ laudis materiam excolere , ingenioque poliendo & ſtudii dulcioris remedio horrendam illam vitæ partem ſi non ab metu circumſeptam & munitam tueri , certe mollire . In quibus princeps fuit & toto genere eminentiſſimus hic P. Virgilius Maro , qui Georgica reverſo ab Actiaca victoria Auguſto Atellæ per continuum quatriduum legit , utpote tunc primum abſoluta poſt ſeptennii laborem iis Neapoli impenſum : quum Bucolica triennii opus extorſiſſent laudes triumvirorum poſt Philippenſem victoriam veteranis trans Padum agros dividentium ad ſuum redimendum . Quibus accedente Æneide fuit ultra omnem humanæ laudis modum fidemque evectus . Tale miraculum potuerunt proferre Andes , pagus non procul a Mantua , dum pater ſilvis & apibus curandis ſtudet augere non filii ingenium , ſed reculam , ut jocoſe obſervat dicitque auctor vitæ ejus. Verum quo monitore huc uſque aſcenderit , aut quibus vel Cremonæ vel Mediolani vel Neapoli , ubi literis & Græcis & Latinis vehementiſſimam operam dediſſe notant , prælucentibus brevis illa incipientis ætatis pax , cujus annus XXI vidit ſtatim prima tot civilium ſcelerum exordia atque inde res tantopere turbatas , in tantum enituerit ; pro abſtruſo reticetur, niſi quendam Scironem annotare placet : non aliter ac ſi proprio labore inſtructus confeciſſet carmen , quo fere continetur , quicquid in ſacris aut profanis antiquitas habuit annotandum. Et jubeamus ſane illum macte eſſe hac gloria , de quo nihil ſatis magnum imaginari nobis poſſumus . Hujus tres imagines ſuperfuiſſe ſuo tempore notat Faber , nec niſi unam hanc in commune protulit affabre expreſſam in gemma corniola , (non nomiſmate æreo , ut æri incidens Gallæus etiam decepit Bellorium ſimiliter nomiſma prætexentem , quod nullum penes Urſinum unquam fuit) quum duarum altera in tabella marmorea, altera in amethyſto perpulchra ſpectaretur . Certe etiam Leon. Auguſtinus profert itidem ex gemma corniola Virgilium , ſed capillis ab occipiti velut revinctis ; etiam lemniſcis ab laurea dependentibus & alio genere velamenti, quod tæniæ humeris annectunt , ac larva ad humerum accedente , non oculis & naſo obverſa ; ut nihil in eo pronunciem . Sufficit in hac charta ſpectari magnanimæ indolis lætiſſimum & ſatis venuſtum vultum , ac varietate meditationum nequaquam inconcinnum.



VIRGILIVS MARO

Apud Petrum Stephanonium in Gemma.

P. VIRGILIUS MARO.

AM quum egregius Homerus nequiverit a nobis dimitti, niſi poſt quatuor paginas ei conſcriptas; certe meretur quoque Virgilius non modo ſtans, ſed etiam ſedens a nobis conſpici, quum hac venia nos mactaret curioſa Pet. Stephanonii ſedulitas, unde ſervata eſt & publicata hæc gemma. Neque enim diſcedimus ab titulo, quo Virgilium ille inſcripſit, licet Fortunius Licetus Plautum, Terentium, Ariſtophanem, Euripidem, Sophoclem, Æſchylum aut Senecam mallet. Pace hujus viri dictum ſit, iſtud quidquid eſt larvatum ſingulari iſta forma non niſi Virgilio uni apponitur. Itaque refert ſculptura hæc poetam non ſane togatum, ut ſtatuit idem Licetus (non eſt enim ſatis rugarum) ſed velut ſegeſtri aut lodiculæ involutum, quum etiam palliatum nequaquam cum Leon. Auguſtino dixerim; & tanto magis notabilem, quod cum adverſo monſtro videatur colloqui, quum in priore nullum talis geſtus aut voluntatis proferatur ſignum. Etiam in hoc clypeo apparet integritas illius faciei. quouſque pertineret, quum in aliis abrumpatur in fine picturæ, In quo quid cogitari debeat, agitur, aliis larvam ſive perſonam intelligentibus, quia antiquitus hiſtriones perſonati poeſin illam paſtoralem recitabant; Leon. Auguſtino interpretante memoriam a poetis invocatam, quum vultus ſenilis notet tempus præteritum, ad quod volat & ſe defert memoria. Sane larvas poetarum ſcenicas patuit in primo volumine fuiſſe alterius generis; etiam illæ in eo geſtu erectæ concipi nequeunt. Quomodo autem loquitur Virgilius cum memoria? Non enim eſt invocantis geſtus, ſed magis minantis. Propterea ego non dubito hic adſpici manium & umbrarum ſpecimen, quod traditum fuerit apparuiſſe Virgilio ſecreta eorum nimis detegenti, qui tamen non terrefactus clariora ex hoc viſu ſingula ſe ſcripturum denunciat. Utique in hac ſpecie quidquam larvatum occurrere vix dixerim, neque larvis adfinguntur hujuſmodi ſuperſtantes pennæ. Sed quum integra ſit facies,



tum præfert fœditatem tetram & nimis ingratam: in qua quid aliud quam videmus aliquem ſimilem illorum ΤΥΠΩΝ ΑΩΡΩΝ, ut appel-

lavit Strabo, & in eo divine aperuit Casaubonus, qui videri potest pag. XIV. Ita igitur inde agnoscitur illa *tristis imago*, qua Æneas se adactum fatetur; etiam hic eminet illa *Par levibus ventis volucrique simillima somno*; etiam ex hoc exemplo spectamus *tenues sine corpore vitas volitare cava sub imagine formæ*. Ita videtur huic vati passim & forsan semper adfixa fuisse ista admirabilis inventio ac peragratio universi poetici & gentilismo placiti inferni. Nam ut certius hanc lemurum & umbrarum alicujus figuram vindicare possimus, utique non dissimile huic sinciput præbetur ab memoranda ista lucernæ Galvaniæ fusura apud Licetum pag. 601, cujus partem hic appono. Neque enim aut hiatus aut compressum os proprietatem rei ipsius mutat, ut idcirco ex scena & theatro hiantem histrionem arcessi oporteat; quem profert Licetus, profert etiam Pricæus ad Apologiam Apuleii, ex Pignorii scripto de servis, sed dissimilem ob causam. Ut dicam quod sentio, nihil ambigo, quin illic artifex voluerit statuere manes circa corpus suum errantes, quippe cui justa facta nondum sunt, ideoque inquietos & miseriam suam quiritationis habitu fatentes.



Q. HORATIVS FLACCVS

Me doctarum ederæ præmia frontium Dis miscent superis

Ex numismate in Thesauro Christinæ Reginæ Aug.

Q. HORATIUS FLACCUS.



UIC Virgilio tam fuit amicus iste Horatius, ut etiam animæ dimidium suæ vocaverit; nec mirum, quum par ætas, par ingenii indoles, paria instituta fuerint, non etiam hic ampliore natali loco, sed aliter educatus; quippe statim Romam missus, & in illo polito ac tam operoso aere nutritus & doctus, & hinc ad amabiles lepores pronior ac magis varius. Hinc Pindari admirator & lyræ sustinendæ proclivior, quo plurium potentium nomina & aures cantu mulceret. Utrosque tamen ab diverso latere venientes sic conciliavit Roma & ejus caput Augustus, ut gloriosius sæculum cogitari nequeat; quamvis hic Romanæ juventæ spiritu incitatus, vel magis philosophiæ Atticæ contumacia & libertate tantum quod inescatus & ab Bruto interceptus non tenuerit, quin apud Philippos contra eum in acie staret. Sed tantum ut sic extraheretur istis fortunæ ludis. Nam donatus testudini & barbito & Mæcenatis beneficii factus cœpit abhinc demum vivere, & constantem lepidamque deducere universi temporis sui rationem, ut ita posset ex animo canere, quod in hoc mundo est præstantissimum *Musis amicus tristitiam & metus Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis*. Quid autem de Horatio dici potest, quod non jam præceptum est? Certe tam diligenter singula quæ ad poetam pertinent, collegit ac pensavit Lævin. Torrentius, ut illis omnia, quæ fulgere in eo possunt hodie, contineri videantur. Hæc effigies quum sit elaboratissima & naturæ munere perpolita, testatur tamen Faber in nummo ruditatem operis fuisse, quum ipse vix videatur inspexisse, utpote Gallæo subscribente *Apud Fulvium Ursinum in schedis ex nomismate æreo*; prout inde etiam exemplar sumpsit Cl. Torrentius. Bellorius autem ex ipso æreo nummo, quem Thesaurus Reginæ Christianæ adservaverit, hanc ipsam edidisse se scribit, sed sine criminatione monetæ, etsi seriore ævo percussum nummum judicet. Neque etiam potest ambigi quin sit prorsus eadem.



OVIDIVS NASO

Ille hic est Vates Pelignæ gloria gentis
Ingenio peryt qui miser ipse suo

Apud Feliciam Rondanin: Clariss. matronam Romanam.

P. OVIDIUS NASO.



APOLLINEO iſti choro inſertus quoque fuit hic Ovidius ita, ut præcedentes duos ætate ſua attigerit, quod patet ex ipſo optime id notante


Et tenuit noſtras numeroſus Horatius aures,
Dum ferit Auſonia carmina culta lyra.
Virgilium vidi tantum.

Itaque cui notior & junctior fuit, perinde ut Horatius extra urbem natus Sulmone ſub infauſto conſulatu Hirtii & Panſæ tertiis Quinquatrubus, vel XII Kal. April. ut ait auctor vitæ ejus in Vaticano ab Heinſio editus; quum Lipſius ad Taciti annales conjiciat poetæ natalem in ſextum poſt Martias idus, ipſo interim Ovidio teſtante alteram Quinquatruum diem treſque ſuper raſa celebrari arena, ſibique adſignet, *qua fieri pugna prima cruenta ſolet.* Sic ergo Romam erudiendi gratia miſſus, etiam arma tentavit ſub M. Varrone in Aſia, ſed brevi tempore; & ſicut reor magis ut tali occaſione uteretur ad ingenia ejus noſcenda. In ſtudiis autem amplexus id quod genio placebat, licet dehortante patre, poeticam ſummo ardore excoluit; & quo ſucceſſu, res docuit, ut nullius ingenio decedere cogatur. Et quid de eo nunc refero, quum ipſa elegia decima libri IV Triſtium ordine enarret omnia ejus fata, & tam copioſe in hac parte verſati ſint alii complures? Hoc videndum, qui potuerit Bellorius huic clypeo originem inſcribere nummum Ill. Felicis Rondaniniæ, quem Nic. Heinſius primus protulit, quum literas præpoſtero ſane ordine collocet, quam præiverat Heinſius? præterea exhibere Ovidium mento tantopere extra collum eminente, quum Heinſianus plane ſit ſimilis Neroni, collo ſcilicet tam craſſo, ut imam menti protuberantiam fere attingat? denique fateri, quamvis in hac imagine laurea ſeu tænia incertis notis appareat vetuſtate conſumpta, lauream tamen ſe effinxiſſe, quale ex eodem nummo ipſe Heinſius plane quidquam



capillis impoſitum non viderit, nec exprimi curaverit? Hæc inquam tria admiſſa ſuſque deque habere nequaquam mihi videtur

esse huic elegantiæ congruum. unde ipsam ab Heinsio vulgatam faciem subjicio, credens aut ipsam dominam, cujus muneris futurus erat hic ingeniosissimi poetæ vultus reparatus, diligentissime ut exemplar fieret veritati proximum, curavisse, aut ab ipso Ovidii studiosissimo viro, sicut ingenium ejus ad florem priscum redigere annisus fuit, sic quoque conspectum faciei naturalem sollicite restitutum.



T. LIVIVS PATAVINVS

Felix Pop[illegible] Romanus, qui rerum a se gestarum


pr[illegible]con[illegible] LIVIVM habuit

Pata[illegible] T. LIVII Mausoleo

T. LIVIUS LIVIÆ T. F. QUARTÆ L. HALYS.



ON enim aliter edidero nomen, quam prout integrum in ſaxo Patavino inciſum exſtat. Ex quo quum ſatis pateat eum hominem non fuiſſe ingenui ſanguinis & inſertum Livio nomini non adoptione, ſed manumiſſione; certe non erat hoc ſæculum, nedum hi ejus anni, ut Bellorius refoveret perverſam opinionem ex inconſiderantia præcedentis temporis profectam natamque, & faciei hujus titulum ornaret eximiis illis dotibus, quas in hiſtorico, vero juſtoque Livii nominis herede, amavit ipſe Cæſar Auguſtus. Sed neque ulla fides probat iſtam Liviam Quartam haberi oportere filiam Livii noſtri; quæ etſi dicatur Titi filia, certe decet meminiſſe Livios prænomine Titi fuiſſe complures, ex quibus aliquem ſumere eximium profecto ſupra vires noſtras eſt, quod tamen ab viro doctiſſimo factum narratur in præfatione nuperi Livii Pariſiis editi. Hæc igitur admonendi ergo debuerunt admiſceri, ne falſis nominibus & vultibus tribuerentur aliena. Etſi enim fortaſſe hic libertus geſſerit aliquid Livio nomine non indignum ac ſacerdos Concordiæ fuerit, unde obtinuerit iſtum clypeum; ut honori huic nullus invideat, non decet tamen in noſtro Patavino aliquid tam humile & ſordidum cogitare.



PAETVS ARRIA
occisâ se quoque interficiens

CÆCINA PÆTUS ET ARRIA.



AD hanc ætatem referre itidem jure videor monumentum lapideum, quod ab Franc. Periero editum dicitur exſtare in Hortis Ludoviſianis, venditaturque Pyramus cum Thisbe. Et conſtat quidem ex fabulis utriuſque necem eodem gladio peractam eſſe; ſed ordo narrationis huic commento obſtat, quum Pyramus ante Thisben memoretur occiſus, in iſto autem marmore mortem jam conceperit fœmina, ideoque clauſis oculis & lapſantibus membris ſublevata pendeat ab manu viri ſe ferientis. Id quod tota facie exprimit hiſtoriam conjugum Arriæ & Pæti, qui quum in partibus Furii Scriboniani infauſto exitu rebellantis contra Claudium in Illyrico, fuiſſet Romam tractus, & conſulere ſibi fortiter deberet, illa & ſolatium mortis & exemplum fuit, rem ſic concipiente marmorario, quaſi quum illa prolato iſto tam memorabili NON DOLET etiam tradidiſſet enſem, ſubito deficientem & collabentem ſuſtinens & excipiens altera manu Pætus, altera ſimul perfoderit ſuum pectus. Res eſt, niſi fallor, clariſſima, & huic facto convenientior, quam Pyramo, dignaque etiam hæc muliebris virtus, quæ poſt Arrium Secundum in hoc volumine memoretur. Cæterum plura exſtant ferocis gentiliſmi non abludentia ab hoc marmore aut facinora aut fabuloſa ludicra. Si enim Valerium Maximum adhibeamus, memorat ille libro III cap. II Jubellium Tauream dicentem Fulvio: *At me, cui nihil Patres Conſcripti præceperunt, aſpice oculis tuis quidem gratum, animo vero tuo majus opus edentem*, & addit, *Protinusque interfecta conjuge ac liberis gladio incubuit*, quaſi cum hæc dixiſſet, tum demum & in ſe peregiſſet, quod alio ordine geſtum novimus ex Livio. Sic cogitari quoque poſſet narratio de Canace & Macareo, qui tradente Higino Æoli filius propter Canacen ſororem & ſponſam ipſe ſe interfecit, quum & ipſa Æoli filia propter amorem Macarei fratris ſe interfecerit, eodem ſcribente. Sed iſta omnia talia removenda cenſeo ab hoc marmore, quod pulcherrimæ morti, ut judicavit Plinius, & ita claræ, ut cætera, quæ non minora, immo vel majora eam edidiſſe norant propinqui, obſcura manſerint (quorum tamen nonnulla politiſſimus ille ſcriptor in memoriam miſit per epiſtolam XVI libri III) conceſſum fuit, quum ſicut hiſtoricis illa narratio allubeſcebat, poetis ingenioſior meditatio, ita ſtatuariis Romæ placuiſſe hanc artificii ſui experientiam probabile ſit.





LVCIVS ANNÆVS SENECA
Stoicus quo Præceptore Nero felici quinquennio Imperium rexit

L. ANNÆUS SENECA.



B hoc tempore incepit mirabili fulgore innotefcere Annæum nomen, cujus confors ifte Seneca, athleta profecto continentiæ, & qui plurima circa fe habens lafciviæ irritamenta, velut unus xyfticorum in facram fynodum fe abdens per omne tempus Forti Herculi operatus fuit. Unde & vitam fuam & mortem inter Romanos illuftrem fecit. Corduba enim, qui natalis locus erat, devectus Romam in prima ætate fub Augufto, quando etiam puer Sotionem ducem habuit, adolefcens vidit ab Tiberii principatu moveri aliena facra, Ægyptiorum nempe & Judæorum, ut fcripfit epiftola CVIII, quod incidiffe computat Lipfius in annum ejus Cæfaris quintum; quo ætatis gradu cenfet profectum quoque Senecam in Ægyptum. Exinde honores Romanæ urbis delibare incipiens, atque etiam fori decora non infacunde fub Cajo expertus, poft quæfturam exilio multatur primo Claudii anno. Nec hanc injuriam impedire potuit claritudo ftudiorum ejus jam tunc in publico fparfa. Attamen revocatus per Agrippinam cum prætura adipifcitur formandum Neronis ingenium nulla arte ab infitis vitiis demovendum. Unde quod gloriæ, quod lætitiæ futurum videbatur, in mortem illi ceffit fæpe memoratam nec fine admiratione auditam lectamve. Cujus quidem effigies quum & nummis & marmoribus ex merito ad fpectandum fuerit adfervata multis; tum hoc caput profertur ab Cl. Bellorio, quafi exhibens eum parco victu atque variis morborum generibus extenuatum: ad quam rem commodius reor iftud adfpici, quod ab Fabro editum eft, quum in hoc, quod apparet folidum & bene denfatum extenta cute, cernere quis opinetur Senecam fodiendis vineis firmatiorem.




C. POSTUMIUS
apud Laodicenses sub Nerone celebris

C. POSTUMIUS.




ABHINC velut effæta Græcia ſimul & Roma nos deſtituens, aut potius invidens his deliciis vetuſtas amolitaque memoriam hanc eorum, qui in annalibus excelluiſſe etiam ſub tyrannis leguntur, ita ut nihil a nobis obſervatum occurrat, præter nummum hunc Neronis, cujus annus ſecundus in eo ſignetur, ſi audimus Jo. Harduinum Illuſtr. Numm. pag. CCLXXXII. In quo ille quidem perinde docte pronunciat ac in ipſius hominis nomine, quod concipit ΓΑΙΟΣ ΠΟΣΤΥΜΟΣ CAJUS POSTUMUS, quum & Patinus & ante eum Triſtanus recte ediderint Poſtumium; quorum uterque quid in hoc nummo meditati ſint apud eos ſpectare licet. Certe Romanum eſſe eum virum indicat togæ ſimilitudo. Sic loquor, quoniam ut laxa veſtis eſt, ita plene togam non exprimunt illi rugarum ductus, quos non dubito commodiores ſedere in nummo, ſed cujus ſpectandi nulla ſpes aut copia. Cui adſtans columella cum ſuperpoſita corona denotat ludos, quorum præmium ea futura erat, unde ex alto conſpicua de more. Super quam extendit manum Poſtumius, cui inſtat aquila paſſis ferme alis, ut appareret ludos eſſe Jovis, qui cognominatus ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ, ſæpe celebratus etiam nummis, illic cultu præcipuo honorabatur. Hos ludos jam ſecunda vice edi curabat Nerone Cæſare hic Poſtumius, quod ſignificari cenſeo per literam coronæ medio inſcriptam, utque adeo vel ipſe vel urbs Laodicea jam fuerit ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΣ. Eſſe vero illam aram, cui alteram imponit manum, dicat Triſtanus & Patinus, quum certe non habeat tripodem, qui plerumque aris tribuitur, nedum cortinam, ſed duos modo pedes, qui notare poſſunt vel ſellam vel cancellos appoſitos.


A PERSIVS FLACCVS
Satyrica Poeti clarissimus
Olim in Bibliotheca Iacobi Cardinalis Sadoleti postea Fulvii Ursini.

A. PERSIUS FLACCUS.



Huic etiam tempori velut oſtenſum modo ingenium Perſii poetæ, addidit non exiguam gloriam. Qui itidem extra urbem natus & educatus vix duodecimo demum anno illuc conceſſit; & in præclaras quidem alias amicitias inſinuans, ſed præcipue delatus in familiaritatem intimam Cornuti, huic viro doctiſſimo & Græcis deliciis refertiſſimo, ut hodieque ex libro ſuperſtite judicari poteſt, agglutinatus fuit. Inde quum contigiſſet, ut in Perſio jungerentur poetica & philoſophia, dictu mirabile eſt, quanto opere utramque tum paſſim, tum maxime in paucis, quas reliquit ſatiras, otii ſui bene poſiti pignoribus exſerere potuerit, tum rem quamlibet optime complexus; verbis notabiliter adſtrictus, ut paucis notaret plurima, & in eligendis ſani omnino judicii, unde non pœnituit ipſum Iſaacum Caſaubonum tam copioſe exſpatiari ad omnia illa tria declaranda, ſane cognitu non digna magis quam neceſſaria. Ipſe interim in vitæ ſanctitate lautas opes poſſidens circa trigeſimum ætatis annum raptus traditur. Et ſic bene convenit hæc effigies, quaſi lanuginem denſari & crebreſcere incipientem adhuc retinens. Sed quam difficile argumentum ſibi ponit, qui tabulam marmoream vel faberrime ſculptam reperiens utique ſibi & aliis perſuadere Perſium in ea conſpici adſpirat? Id tamen dicitur in animum induxiſſe Eruditiſſimus Cardinalis Jacobus Sadoletus, ſcribente Fabro, eam olim fuiſſe illius, *qui perſuaſiſſimum ſibi habebat hanc Perſii eſſe effigiem*, Gallæo teſtante ab ſe edi hanc faciem depictam *apud Fulvium Urſinum in marmore*. Sic illi anno prioris ſæculi XCIIX, quum tamen Urſinus ipſe anno LXX allegatis eiſdem vocibus de ejus forma, ſubnectat, *quæ eo libentius adjeci, quod imagini e marmore cum Perſii nomen non ſit adſcriptum, ex iis potiſſimum Perſii illam eſſe conjicere poſſumus*, ſine ulla mentione Sadoleti. Hedera ſatyricis poetis ad coronam deſtinata & hujus capillos alligans refutatur ab Perſio hederas ſequaces ad imagines lambendas aliis remittente. Vultus vero immane quantum poteſt fallere; & mirum, cur iſtam virginalem fere verecundiam formamque modeſtam ac pulchram non viderint in Alcibiade. Nihilominus iteretur ſic quoque occaſione hujus tabulæ laudatiſſimum iſtud nomen, & ſic quoque aliquid dicat, ſi nihil aliud, ſaltem *o quantum eſt in rebus inane!*



M. METTIVS
EPAPHRODITVS
GRAMMATICVS GRECVS
M. METTIVS GERMANVS FEC
Apud Balthasarem Albertonium in marmore.

M. METTIUS EPAPHRODITUS.



ET jam vices adſignandæ ſunt Epaphrodito, ſi quidem ea quæ in iſto nomine collegit Suidas, ad hanc ſtatuam referri oportet. Certe id nomen ſatis frequens & quaſi plus quam olim celebratum ex hoc ſæculo ſervari novimus, nobis idem ſuggerente nunc hoc Grammatico Græco. In quo præſtanti viro parum laudabilem induſtriam excudit Faber, dum & convertit ejus latera ſubſcriptionis retento ordine, & per manum Gallæi propagat illud GRECUS, & in commentario ſic agit, quaſi ipſe aliquid diceret, prout etiam credidit Bellorius nihil prorſus adferens niſi repetitionem Fabri, quum omnia ſint ſubrepta ex Urſino, ad quem propterea bona venia illorum, qui nihil amant de ſuo adferre, revertimur ut auctorem primum, ejuſque verba nunc Mettio reddimus. *Mettius Epaphroditus, Chæroneus, M. Mettii libertus, & Archiæ Grammatici alumnus florit Nerone & Nerva Romæ imperantibus, quibus temporibus Ptolemæus quoque Hephæſtion, aliique multi claruerunt. Suidas autem Modeſto Ægypti præfecto ſerviſſe Epaphroditum ſcribit, niſi ut plerumque fit, erratum ſit a Græco librario in eo nomine. Studioſum librorum fuiſſe Mettium, ex eodem colligimus Suida, & ad triginta millia voluminum emiſſe. multis autem relictis ſcriptis morbo aquæ intercutis periiſſe. Epaphroditus in libro de elementis citatur a manuſcripto, qui apud me eſt, Theocriti interprete. Sed qui a Suida & Theocriti Scholiaſta adducitur Epaphroditus, ſitne is, cujus ſtatuam e marmore imprimendam curavimus, pro certo non affirmarim.* Quæ tamen & ipſa ſic concepta ſunt, ut neceſſario requirant ipſa Suidæ[1] verba, idcirco inferius adjecta. Cæterum hæc ſtatua meruit curam & adſpectum virorum doctorum, & paulo poſt Urſinum teſtatur Joan. Wouwerius in eximia iſta Polymathia ſe Romæ illam vidiſſe, ut magiſtrorum ſellam ex ea conſideraret. Etiam Sponius indicat ſibi viſam in Palatio Cardinalis Nerli; ut crebro mutarit etiam dominos. Non ſumus autem ita deſtituti, nec ſtudia Epaphroditi tam fuerunt ſpreta antiquis, ut præter Scholiaſten Theocriti & ſcriptum ΠΕΡΙ ΣΤΟΙΧΕΙΩΝ nihil aliud laudaverint, quum & ΕΝ ΟΜΗΡΙΚΟΙΣ aliquoties hunc citet Stephanus Byzantius de urbibus, & in Magno Etymologico ad illuſtrandam Gargaron producatur aliquid ex Nymphio philoſopho, quod excerpſerit ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΣ ΕΝ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΙ Θ ΙΛΙΑΔΟΣ, etiam Clitarchi mentione ab eo ſervata, omnia vel præcipue ad Grammaticum Græcum, quomodo inſignitur noſter, pertinentia.

1. Ἐπαφρόδιτος, Χαιρωνεύς, γραμματικὸς Ἀρχίου τοῦ Ἀλεξάνδρου γραμματικοῦ θρεπτὸς, παρ' ᾧ παιδευθεὶς ὠνήθη ὑπὸ τοῦ Μοδέστου ἐπάρχου Αἰγύπτου, καὶ παιδεύσας τὸν υἱὸν αὐτοῦ Πιτηλῖνον ἐν Ῥώμῃ διέπρεψεν ἐπὶ Νέρωνος, καὶ μέχρι Νέρβα, καθ' ὃν χρόνον καὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἡφαιστίωνος ἦν καὶ ἄλλοι συχνοὶ τῶν ὀνομαστῶν ἐν παιδείᾳ. ὠνούμενος δὲ ἀεὶ βιβλία ἐκτήσατο μυριάδας τρεῖς, τούτων δὲ σπουδαίων καὶ ἀνακεχωρηκότων. Τὸ δὲ σῶμα ἦν μέγας τε καὶ μέλας ὡς ἐλεφαντώδης.



APOLLONI
TYANEVS
APOLLONIVS TYANEVS
Pythagoricus ac Præstigiator
Ex numismate æreo in Thesauro Christinæ Reginæ Augustæ

APOLLONIUS TYANEUS.



ERAT illud tempus, cujus momenta ſingula ſcatebant monſtroſis auditionibus. Proceſſerat enim genus hominum, quorum alii narrabantur rapti in cælum; alii voce & tactu dum illinc referuntur edidiſſe aliquid inuſitatum & humano amplius, nonnulli ejuſdem gregis ibidem ſimilia peragentes obſtupefaciebant animos gentilibus ſuperſtitionibus deditos. Hinc vel ad elevanda iſta omnia, vel ad captandas ſimulatione hujus potentiæ & imitatione mentes vani & plani exſtiterunt. In quibus fuiſſe hunc Apollonium ſicuti non dixerim; ita ab plurimis relatum eſſe, certe de ipſo promanaviſſe per quoſcunque loquutulejos ſimilia ſatis conſtat. Ille enim & viſitavit omnia & ſimul replevit omnia miraculis (quo magis mireris) vel quum natalis inſtaret, vel dum vixit, nec minus poſt mortem. Hinc nihil divinius inter homines exſtitiſſe ineptiſſima illa & plena caliginis ætas, donec vera lux diſſipavit omnes umbras, pronunciavit. Unde non templa etiam iſti, non cultus & memoriæ veneratio infirmior defuit, ipſis Romanis Cæſaribus præ ignorantia has nugas inflammantibus, utpote malo genio omnia infeſtante. Quid mirum igitur, ſi expreſſam & gemmis & nummis effigiem ejus per omnia ſparſam aut etiam ipſas imagunculas & ΠΡΟΤΟΜΑΣ, quarum unam edidit Leon. Auguſtinus, circumlatas libenter viderunt? Quam ſtultitiam quum inſaniverint fere omnes, tum exceſſiſſe in hac fallacia auxiliis & ſtudiis omnibus adiuvanda & multiplicandis his Apolloniis videtur Julianus, ita ut ex illo & ſe velut unam quoque faciem exprimeret in nummo, qui in manus præſtantiſſimi Triſtani veniens merito eſt ab eodem publicatus. Ubique tamen id obſervari placuit, ut brachium cohibente pallio vix extrema manus dextra exſereretur, non ſecus ac ſi ſolo halitu & oris ſono omnia profligaviſſet, quod etiam ex multis narrationibus de eo hic illic memoratis poteſt tacite colligi. Sed quum & primam nummi hujus notitiam interſit diſcere, & tam Faber, quam Bellorius quæ habent, pateat ex Urſino deſcripta eſſe; oportet hunc Apollonium ex ipſis Urſini verbis contemplari, quæ ſunt hæc ſequentia. *Apollonium Tyaneum patre Apollonio in Tyana Cappadociæ urbe natum, Pythagoreum philoſophum, imperantibus Romæ Caligula & Claudio floruiſſe, ſcribit Suidas. De vita autem Apollonii, & moribus, octo libros conſcripſit Philoſtratus, e quibus tota de viri hujus geſtis hiſtoria petenda eſt. Hieronymus quoque in Epiſtola ad Paulinum ita de eo ſcribit: Apollonius ille ſive magus, ut vulgus loquitur, ſive philoſophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Perſas, pertranſivit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, opulentiſſima Indiæ regna penetravit, & ad extremum latiſſimo Phiſon amne tranſmiſſo pervenit ad Brachmanas, ut Jarcham in*

throno ſedentem aureo & de Tantali fonte potantem inter paucos diſcipulos de natura, de motibus, ac de curſu dierum & ſiderum audiret docentem. inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabas, Palæſtinos reverſus ad Alexandriam, perrexit ad Aethiopiam, ut Gymnoſophiſtas, & famoſiſſimam ſolis menſam videret in ſabulo. Invenit ille vir ubique quod diſceret, & ſemper proficiens, ſemper ſe melior fieret. Scripſit ſuper hoc pleniſſime octo voluminibus Philoſtratus &c. Quod autem in nomiſmate æreo, cujus mihi Nicolaus Florentius Batavus copiam fecit, Teaneus pro Tyaneus ſcriptum ſit, errore ejus qui nummum cuſit, factum eſſe opinor. Nam Tyana, non Teana, habent omnes libri in quibus hoc nomen reperitur. Scribit autem Lampridius Alexandrum Imperatorem in larario ſuo Apollonium inter divos conſecratum coluiſſe: & Aurelianum tradit Vopiſcus admonitum in ſomnis ab Apollonio, ne Tyanam urbem expugnaret, expergefactum imaginem & ſtatuam ei dedicaviſſe: Xiphylinus quoque Caracallam, quod præſtigiatoribus delectaretur, monumentum Apollonio, qui Domitiano imperante floruerat, faciendum curaſſe. Quibus quidem temporibus, æreum nomiſma cuſum fuiſſe, veriſimile eſt.



FRONTINVS
Proconsule apud Arvernos
meritus summo honorem.

SEX. JULIUS FRONTINUS.



NEQUE enim cunctari potui, quin & dignitatibus ornati & literarum variarum studiosi viri vultum quoque redderem ordini suo, & laudandos Jac. Sponii manes ob hanc industriam grata voce citarem. Ille enim inventum ab Gallandio Smyrnæ nummum in Miscellaneis publicavit; & quamvis repertor ejus censeret non Frontini caput esse, sed Jovis apud Smyrnæos culti, tamen adserere id maluit ipsi Frontino. Et hujus ego justa malui agnoscere, quum & Eprium Marcellum ita suspicentur nonnulli in nummis exstare, & C. Postumius sub Nerone sic demonstrari potuerit quoque, licet pariter præsideret festo. Vivat igitur Frontinus, & per oculos hominum posthac aperto capite incedat, quale hic patet, nisi quod ampliore gyro spatium occipitis circumduci præstitisset ac barba spissiore mentum insigniri. Sed maxime rei historicæ prosit inscriptio, qua ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ signatur; cujus honoris fides quum sic probatissimo documento adfirmetur, sane pariter colligatur inde veritas Æliani [1] appellantis eum non modo consularem virum, sed illustribus consularibus etiam accensentis. Etsi enim titulus proconsulis obtigerit quoque interdum illis, qui consules non fuissent; tamen cur solennis honorum ordo & progressus in Frontino supponi non debeat, nihil causæ video, præsertim testimonium ejus adferente Æliano, certe non levi aut vano scriptore. Itaque optavisset hanc nummi hujus inscriptionem vidisse G. I. Vossius, Vir Clarissimus, cognitorem hujus honoris non nisi unum istum Ælianum præbere gnarus.

1. Cujus locus in præfatione ex optimo codice Mediceo sic est restituendus. Ἐπεὶ δὲ τῷ Θεῷ πατρί σου Νερούᾳ συμβαλὼν παρὰ Φροντίνῳ τῷ ἐπισήμων ὑπατικῶν ἐν Φορμίαις ἡμέρας τινὰς διέτριψα, δόξαν ἀπενεγκαμένῳ περὶ τὴν ἐν τοῖς πολέμοις ἐμπειρίαν· συμβαλὼν τἀνδρὶ εὗρον οὐκ ἐλάττονα σπουδὴν ἔχοντα εἰς τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησι τεθεωρημένην μάθησιν, ἠρξάμην οὐκ ἔτι περιφρονεῖν τῆς τῶν τακτικῶν συγγραφῆς, οὐκ ἂν ἐσπουδάσθαι παρὰ Φροντίνῳ δοκῶν αὐτήν &c. ubi vulgo editur ἐπενεγκαμένῳ, & σπουδάζεσθαι.



RVFVS *EPHESIVS*


Anatomiæ et Herbarum ſtudioſus.

RUFUS EPHESIUS.



NNORUM intervalla coegerunt ſeparare medicorum imagines, ut univerſæ commodo ſuo tempori attribuerentur. Itaque nunc ille dies adeſt, ceditque, quo de reſiduis appellari poſſumus. Jam enim imperat Trajanus, ſub quo floruiſſe hunc induſtrium & ſcriptis multis voluminibus, quorum electam & opportunam materiam ipſi indices apud Suidam ſatis probant, inclitum inter medicinæ ſapientes Rufum ab Epheſo teſtatur ille ipſe ſcriptor. Sed & Galenus agnoſcit tam therapeuticos libros ab eo & quidem bene exaratos, quam de herbis aliqua compoſita, idque ligato ſermone per hexametros verſus; ut ſic appareat virum iſtum egregiis inſtrumentis fuiſſe ornatum, quocunque impetus ferret. Hinc & in hac figura impoſuerunt ejus femori dextro librum, quo medicinæ cultum polivit. Et forſan ad ejus notam meliorem facit ſingularis ille geſtus, quem in ſedendo præfert, indice digito exerto arrectoque ita, ut inferius mentum tangat, velut excitaturus attentionem in omnibus illis, quæ ab iſto choro, tanquam auditorio ipſius naturæ vocem reſonante, adferuntur in medium, ut ea ſingula judicio ſuo ſubjiciat. Sic enim exhibetur ab Lambecio, quem hujus cælatoris manus non eſt accurate ſequuta, ſane per errorem, quum indecens ſit iſtud interſtitium. Equidem ex illis paucis fragmentis quæ ſuperſunt, ſatis ample patet, quam diligenter hic Rufus & legerit & annotaverit non tantum ex medicis, ſed undiquaque; & ſæpe miror, unde tam ſero contigerit adhuc iſta illi ſententia, ut nomina partium humani corporis annotare vellet, tanquam prioribus ea non ſatis bene fuerint cognita & perſpecta, quum vel maxime neceſſaria ſtudiorum iſtorum pars & quidem in eorum ingreſſu, ut ipſe docet, eſſet. Sed quum id grate exſequatur, opinor ei quoque conſtitiſſe rationem.






THEON
Platonicus Philoſophus.

THEON SMYRNÆUS.



IVERSA quam plerumque contigit, clade & jactura in hoc viro laboramus; & quum aut omnibus ſcriptis cuſtoditis aut certe parte ſervata ut plurimum perierit ipſe auctorum conſpectus, hunc Theonem nuper in lucis plagas repoſuit Cl. Sponius, ſed & quo labore bene meruerit de Philoſophia Platonica, & quam dignitatis rationem inter æquales ſuos deduxerit, nulla ei ſupererat notitia. Itaque reſtitutor hujus effigiei nihil aliud, niſi inter multos Theones Suidæ memoratos quum ſit quoque Theon Platonicus Philoſophus Smyrnæus, hunc illum eſſe non dubitat. Atque utinam quidem eo uſque Suidas illum declararet! Sed in Suidæ iſtius loculis ſane non tali acie utor oculorum, ut queam videre utramque hanc Platonici & Smyrnæi deſcriptionem ab illo conjungi, nihil aliud dicente niſi ΘΕΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ, Platonico quidem nullo ex omnibus illic collectis nominato. Probabiliter tamen videtur ſuſpicari & conjungere ΠΛΑΤΩΝΙΚΟΝ ex titulo ſtatuæ cum voce ΣΜΥΡΝΑΙΟΝ ex Suida, quoniam & ipſa ſtatua inde fuerit in Galliam devecta: ſcilicet non diverſimode procedente hac ratiocinatione ac alia in eodem hoc philoſopho, quum ΘΕΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ ex MSto ab Cl. Bullialdo editus conjungitur non ſine ſpecie cum libro primo Procli in Timæum, appellantis ibi ΘΕΩΝΑ ΠΛΑΤΩΝΙΚΟΝ, ut collegit Voſſius in ſcientiis Matehmaticis, unde etiam diſces, cur jure ſic inſeratur iſti ſectæ, ut inde cognomen quoque mutuatus fuerit. Quapropter aſſentiens duobus illis egregiis doctrinæ noſtræ adjumentis circa hoc tempus vitam ejus colloco, cui juſtiſſime & ex debitæ pietatis officio hæc juſta fecit filius. Neque enim, ut opinor, dum tali encomio ornatur pater ab filio, imaginandum mihi eſt uſu illi veniſſe, quod dicebant Græci [1] plerumque contingere, ut patres non laudentur niſi ab infelicibus filiis; quum ſacerdotii cærimonia ſimul appoſita & hinc luculentæ mercedes eum ſatis beatum teſtentur fuiſſe.

1. Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί;





L. I. VNIVS RVSTICVS


M. Aurelii Praeceptor, Stoicus

Ex Fulvii Ursini Bibliotheca

L. JUNIUS RUSTICUS.



HUJUS enim memoriam ad Marci Antonini ſtationem accedens negligere non potui, prout in eo conſulere placuit Gallæo & Fabro, ex omni hoc numero illum exturbantibus, tanto iniquius, quum primus Urſinus, cujus tamen nominis prætexto ille liber nitet, eum reſuſcitaverit. Scilicet aut Mettius Epaphroditus aut tot decollati Hermæ digniores erant, potiuſque merebantur paginas, quam hæc plena venerationis facies, & Stoicam firmitatem manifeſte prodens; præſertim quum & Boiſſardus quoque dignatus fuiſſet cuſtodia ſua, an dicam ex cujus fulgore picturis ſuis accendiſſet lumen. Itaque magis probo judicium Cl. Bellorii, qui etiam non neglexit: quum is utique ab his tabulis exigi & removeri non deberet, cujus nomen & in faſtis & in Inſcriptionibus & in hiſtoriis Latinis Græciſque celebratur, niſi quod illic videam Quintum prænomen exhiberi, non Lucium. Sed quum Belloriana ad notitiam philoſophi noſtri attulerint nihil, niſi prout anteceſſerat Fulvius, hujus verba complexa totum Ruſticum, prout ille ad nos venit, quantoque in pretio ab optimo principe habitus fuerit, integra, ſed emendata magis ſubnectam. *L. Junii Ruſtici, philoſophi Stoici meminit his verbis Capitolinus in vita Marci Antonini: Peripateticæ vero ſtudioſus audivit Claudium Severum, & præcipue Junium Ruſticum, quem & reveritus eſt, & ſectatus, qui domi militiæque pollebat, Stoicæ diſciplinæ peritiſſimum, cum quo omnia communicavit publica privataque conſilia: cui etiam ante Præfectos Prætorio ſemper oſculum dedit: quem & conſulem iterum deſignavit: cui poſt obitum a Senatu ſtatuas poſtulavit. Tantum autem honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulcra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret.* Certe meruit ſtatuam, cujus philoſophica præcepta potuerunt formare non egregium modo, ſed incomparabilem principem, atque hinc toti humano generi utilis eſſe: quod utinam noſtris temporibus poſſet contingere!



SEXTVS *CHAERONENSIS.*
Plutarchi Nepos, M·Aurelii Praeceptor.
Ex numismate aereo Sponii

SEXTUS HEROS.



QUEM plane comitari debet iſte non tantum ætate æqualis, ſed & collega in eodem ingenio ad optimam frugem producendo, cujus laboris uterque fuit vel feliciſſimus. Itaque huic quoque Julii Capitolini teſtimonium denegari non debet, quum & ſuum abſtulerit Ruſticus, maxime quia verba ad hunc pertinentia tantum quod præcedunt allegatas modo voces, in quibus etiam iteratur Ruſtici mentio, ſed ab Urſino non obſervata. Capitolini iſta ſunt: *Audivit & Sextum Chæronenſem, Plutarchi nepotem; Junium Ruſticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum Stoicos*. A quorum operis ita diſtinctas habuit partes noſter Sextus, ut per hunc ad ſcientiam literarum Græcarum inſtitutus fuerit, ſi fides Eutropio. Sed non ſolus Marcus eum audivit, quin & Lucius Verus eum inter præceptores habuit teſte eodem Capitolino. Ad exiſtimationem certe hujus Sexti pertinet, quod Suidas aperte tradit ab Marco tanti factum eum, ut fuerit quoque ſolitus in judiciis adhibere conſiliarium. Unde etiam diſcimus ſcripſiſſe aliqua. Itaque nec detrectandum titulo, quo ut Heros ſalutatur poſt mortem. Ad hunc enim Sextum faciem hujus nummi & circumeuntes literas trahit Cl. Sponius, qui primus illum publice exhibuit, non ad Empiricum, cujus mentioni in Diogenis Laertii libro IX nuper tamen appoſuerunt hunc vultum, utique præter voluntatem Sponii & ipſam, ut reor, veritatem, quam tot inſignium virorum judicia & labores adeo circumſpecte munierunt, ut ne hi duo confunderentur. Apulejus incipiens ſua Mileſiaca, ſcribit originis ſuæ maternæ fundamenta ab Plutarcho illo inclito, ac mox Sexto philoſopho nepote ejus prodita gloriam ſibi facere.



ARISTIDES

Roma tuum nomen totum licet impleat Orbem
Maius Ariſtidis fit tamen eloquio
In Bibliotheca Vaticana.

ÆLIUS ARISTIDES.

JUSDEM imperii ac temporis ornamentum ingens exſtitit ab hujus Ælii Ariſtidis facundia; quæ quum tantam admirationem moverit in Græcis pariter ac Latinis, ut ipſam quoque Græciam obſtupefeciſſe teſtetur Syneſius, atque adeo exempla ejus luculenta etiamnum ſuperſint, parum intelligo, unde & Urſinus & Faber eum ſpectari noluerint, quem ſciebant tam venuſte legi. Equidem vivo Ariſtidæ contigerat ea felicitas, ut tum præcipuis ſui temporis, tum familiarius innoteſceret Imperatori Romano, & ſatis validam gratiam ad eum impetraret; in tantum, ut huic reſtitutionem ſuam ab terræ motu ipſa Smyrna debuerit referre acceptam. Non diſſimilis laus eſt, quam ſtatua ejus nacta eſt, ab Pio IIII collocata in bibliotheca Vaticana: nec dubitavit hic proprio baſin ejus exornare nomine & venerationis tunc ſuæ indicio. Id alteruter eorum ignorare non potuit, quo minus ab publico omnium conſpectu tam aureum os averti debuit, cujus dotes accurate exſequutus eſt Guil. Canterus in eruditis Prolegomenis, quemadmodum totus in ſtudiis, quæ etiam peregrinando acuere conatus eſt, non humile quid ſectatus fuerit, ſed fere certamen cernere ſuſtinuerit cum diſertiſſimis antiquæ Græciæ.


CLAVDIVS GALENVS
Medicus primarius.

GALENUS.



QUI denique in novi velut medicorum ſæculi tabula principem locum obtinebat, ex ſerie temporis nunc claudat numerum eruditiſſimus & diſertiſſimus Galenus; cujus quum tot inſignia ſcripta conſervata ſint, digna erat hæc facies, quæ immenſo augendæ doctrinæ impetu concitata toties prona in chartas, herbas & cadavera, atque etiam ægros ſuperincubuit, ut ſanctius cuſtodiretur. Certe ſi quis unus patriæ gloriam exoleſcentem virtute ſua renovavit, hic Galenus eſt, per quem contigit numen ipſius Æſculapii & medici ſtudii ſplendorem in urbe Pergamo tantum non inſtaurari. Quod ut fieret, incenſus ab patre Nicone, geometra & architecto perquam ſolerti, & primum illum diſciplinarum orbem peregit, & mox elegit medicinam, quam totis viribus illuſtraret. Ita in Ægyptum profectus, ita in Italiam; ubi de ea nota ſe probavit, ut ad quam primum ultro profectus erat, mox Cæſareis literis illuc revocatus ſecunda vice veniret ac diutius viveret, percarus principibus interimque aſſiduæ meditationi & ſcriptioni intentus; quorum omnium flagrantem ejus ardorem ſatentur tot volumina, ingentis ſapientiæ & facundiæ promptuaria, quæ legiſſe & juvat & refert.


ΜΑΧΑΩΝ
ΧΕΙΡΩΝ
ΝΙΓΡΟϹ
ΠΑΜΦΙΛΟϹ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΗϹ
ΞΕΝΟΚΡΑΤΗϹ
ΜΑΝΤΙΑϹ
1. ΧΕΙΡΩΝ. *Chiron*
2. ΜΑΧΑΩΝ. *Machaon.*
3. ΠΑΜΦΙΛΟΣ. *Pamphilus*
4. ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ. *Xenocrates*
5. ΝΙΓΡΟΣ. *Niger*
6. ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ. *Heraclides*
7. ΜΑΝΤΙΑΣ. *Mantias*
Ex vetustissimo Codice Dioscoridiano Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensi
TAB. I

CONSPECTUS PRIOR SEDENTIUM MEDICORUM VII.



TA quum Galenus cogat agmen præſtantium proximæ ipſi ætatis medicorum, eorumque effigies ampliore ambitu delineatas ſparſim adſpicere licuerit; ipſum antiquitatis genium ne ſpernamus, id potius agentes, ut quæ cœtus & concilii illius forma ſuppoſita fuerit ab eleganti viro, cujus cura manuſque illum Dioſcoridem, felicem profecto atque etiam dignum, qui in tam doctas primo, mox Imperatoriæ Clementiæ manus inciderit, adeo venuſte ornavit, pariter ac junctim ſpectemus. In his tabula quæ vetuſtiores conſidentes an congerrones aut maximæ rei arbitros habet, etiam prior digerenda eſt, in qua præſidet Chiron, ternis earundem artium æmulis per adſcripta nomina diſtinctis latera cingentibus, quos ſive ſubſellia ſive lecti ac pulvini receperint, certe faciem dimidiatæ porticus per exedras ſuas præbentibus. Hac enim imaginis ſpecie ipſe potius delector, quam triclinii, quod placuit Lambecio, in quo certe non ſedebatur. Utinam modo exemplum ejus petitum eſſet ex ipſo Lambecio, & ab vera ſimplicitate primi pictoris, non Romano ludibrio informata mens his ſeptem luminibus rite ponendis inhæſiſſet! Quidquid enim genuinum ex fide prior exhibuit, dici nequit, quam fœda licentia alter mos ſuppreſſerit corruperitque non in vultibus modo, ſed in univerſa etiam collocatione & geſtuum congruentia, nunc producto nimium, quod corripi debuerat, nunc contrario vitio nonnulla vexante, hic propius quam oportuerat, junctis vicinis, illic ultra debitum dimotis; adtributis ſæpe etiam, quæ nequaquam ex primævo ſpecimine, ſed ab ipſius manus effræni curſu promanarunt. Singula hæc nulli recte inſpicienti & comparanti non patent. Quid quod inferiora Chironis apud Lambecium neſcio quid equinum ſpirant, certe ex intima artis illius peritia, & gratiſſima alluſione ad fabulam, cujus omnino debebat aliqua poni ratio in Chirone pingendo. Vide enim quæſo & adverte, an non quod infimum dependet, pedem & ungulam equi qualemcunque referat? Atqui id Romæ mutatum eſt perſpicue in veſtis laciniam. Sed tam indigne jocentur, quibus ita lubet ac licet; nobis cum ſeria veritate rem eſſe cupimus.



1 ΓΑΛΗΝΟΣ *Galenus* — 4 ΑΝΔΡΕΑΣ *Andreas*

2 ΚΡΑΤΕΥΑΣ *Crateuas* — 5 ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΗΣ *Dioscorides*

3 ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ *Apollonius* — 6 ΝΙΚΑΝΔΡΟΣ *Nicander*

7 ΡΟΥΦΟΣ *Rufus*

Ex vetustissimo Codice Dioscoridiano Bibliothecae Caesareae Vindobon.

TAB. II

CONSPECTUS POSTERIOR SEDENTIUM MEDICORUM VII.



HABE igitur & alterum conſeſſum, ſi inventionem primigeniam & inceptam mentis excitationem ad colendum hoc bonæ artis genus excipias, plane non cedentem priori, qui modo ſpectatus eſt. Non induſtria, non ſolertia poliendi eorum, quæ ab prioribus tacta erant, non perveſtigandi arduitas, non progreſſuum felicitas, non ipſa mentium divinitas, ſed ſolus temporis ac naſcendi ordo hæc eximia capita poſtponit. Idem numerus, par collocatio, & velut Galeno præſide atque exactore ab unoquoque latere operæ ſuæ ſpecimina terni in medium proferentes. Ac neſcio an non inventionis hujus auctor unum alioquin conſeſſum, in quo Chiron & Galenus utriuſque metas & terminorum extrema tenerent ſibi invicem obverſi, cogitaverit, ſed quem longitudinis ſpatium ultra chartarum menſuram prominens ſeparare in duas partes compulerit. Agnoſce igitur & contemplare alteram Medicam porticum, non Athenarum ſolo infixam, non Medorum ex Aſia, iræ & nefariis præliis immorientium, vultibus memoratam; ſed ambulantem ad omnium elementorum bona inſpicienda & corporis humani cuſtodiæ & fomentis applicanda. Porticum dico, non illam ſimplicem, prout vides, verum multiplicem, ſed in qua hi ſelectiſſimi viri tanquam præcipuæ & validiſſimæ columnæ mediam potiſſimum partem & velut templi navem ſuſtinent, prout a fronte potentes Cælicolæ clarique ſuos poſuere penates, quum reliquæ ab tergo harum adſtructæ variis eam ordinibus augeant. Aliam ſedem & diverſam ab Chironia hic occupat & ſpectandam præbet Galenus, quippe & alia erant tempora. In linguas, in oculos nunc incurrebat per quaſcunque artes THRONUS. Ut creberrime per iſtorum annorum ſcripta celebratur non tantum Sophiſtarum Thronus, ſed & Philoſophantium; ſic nihil mirare eundem ſatis commodum & ſpectabilem cum ſuppedaneo & compagibus ad ſellæ etiam curulis inſtar poſitum eſſe artis principi per eoſdem annos Galeno, unde formam quandam ejus inſtrumenti ad doctrinæ honorem capias.



LVCIVS APVLEIVS
nobilis Platonicus
Ex numismate æreo in Thesauro Christinæ Reginæ Aug.

APULEJUS.




Hic ille eſt in judicio vocatus Philoſophus formoſus & tam Græce quam Latine diſertiſſimus. Quod licet ipſe genus accuſationis exſecrans, etiam extenuet; tamen niſi nos fallunt monetariorum blanditiæ, in eo utroque nihil eſſe quod ex falſo trahat aliquid, licet hodieque nobis cernere, ſolerti majorum cuſtodia non ſcriptorum modo ejus parte bona conſervata, ſed & hoc vultu. Ille jamdiu cognitus bene viris doctis & ipſis auctoris ſcriptis idcirco præfixus. Attamen hic quoque ſpectari debere arbitratus ſum, ſi non vel ad temporis hujus gloriam, vel ad Africæ decus, utique quia Sexto Chæronenſi in hanc ſeriem recepto etiam locus debebatur non degeneri poſteritatis ejus portioni. Ille igitur quum ab ineunte ævo unis ſtudiis literarum ex ſummis viribus deditum ſe ſcribit, Madauræ natus Carthaginem, Athenas, Romam propterea inviſit, & ex ſingulis ſic hauſiſſe aliqua, ut bona fide illi adhæſerint, loquitur ipſa ſcriptorum voluminum varietas. Id miror, adeo non conſtare tanti viri ætatem, Elmenhorſtio ſequente Pithœum & utriſque inhærente Fort. Liceto ad Gemmas, ut vitæ ejus attribuant tempora Antonini Pii Divorumque fratrum, Bellorio ſcribente Romæ tandem ſub Trajano ſeu Hadriano claruiſſe, quum ſciat Antoninum Pium ab eo appellari Divum. Johnſius attribuit ei Commodum, negatque inferiorem ætatem ei tribuere ſe poſſe, cum Septimius Severus Auguſtus epiſtola ad ſenatum contra Clodium Albinum, hunc inter Mileſias Punicas Apuleii ſui conſeneſcere ſcribat, unde videtur Apulejus Clodii Albini familiaris fuiſſe. Sed quæ ad eam ſententiam adferunt, tanti certe non ſunt ut evincant. Unde Triſtanus ſtatuit eum vixiſſe Commodi, Severi & Caracallæ imperio, quum Severianus, quem in Floridis Apulejus agnoſcit proconſulem Africæ, lex IV D. de officio proconſulis nominet talem ſub Severo & Caracalla. Hæc vero eſſe liquidiſſimæ fidei plena videtur mihi pervincere nummus modo per Cl. Morellium



editus, & idcirco huc vocandus ad ſpectandum tanto juſtius, quia ſcribit editor in averſa iſta parte militem armatum conſpici, ædes

quaſdam ingreſſurum , cujus oſtio tria capita impoſita ſunt , ipſi incognita. Scilicet miles eſt, ſed non de gregariis, quod ſatis probat tota armatura & dependens chlamys, ut vel tribunum vel centurionem cogites. Tria capita ſunt Severi , Caracallæ & Getæ, præſens imperium exhibentes, quippe quorum iſtud eſt prætorium ; ante quod ſtat iſte militaris vir ſive ingreſſurus, ſive excubias pro ſtatione agens, eoſque reſpiciens, tanquam a quibus ſignum petat; cui ſimilia ſpectare licet in utraque Columna . Itaque hoc pacto egregius iſte nummus, regii apud Gallos cimelii decus, univerſam iſtam controverſiam decidit : unde iſto loco doctiſſimi viri memoriam poſui.


LVCII APVLEIANI
philoſophi vultum referre credita perſona

L U C I U S.




UT ſcias, qualem hiſtoriam laborioſis voluminibus condiderit Apulejus, hoc caput, ſi ex Phrygia arceſſas, Midam præferens; ſin ex Batavo agro, regem Tragoræ ſimulans, ei annectendum eſt. Et quid miramur olim narrari formas hominum in bruta collatas, quum ſic tres a noſtris memorentur, quibus aures hujuſmodi adſcribi queant, & operoſo conſeſſu ac multo doctrinæ arbitratu ex eis ſignatum demonſtrent; & ne de eo quis ſit dubitetur, nomen Lucii Græce ΛΟΥΚΤΕΙ non ita graphice deſcriptum fabrili mendo proponere dicitur. Hæc ita potuerunt ſubnaſci Fortunio Liceto, & quum Stephanonius quoque ſubſcripſiſſet Lucium Patrenſem, ipſe ex regula artis ſuæ concludit imaginem eſſe neceſſario unius illorum trium, qui claruerunt ex commento de Aſino trasformato ſub propria perſona. Hinc potuit Caninus (ex quo ſimulata eſt hæc facies, quum apud Stephanonium erectior ponatur, perinde ut etiam literæ recto ordine procedunt) ſupponere caput hoc ex vetere corniola deſumptum notare effigiem Lucii philoſophi illius ſatis noti. Quid quæris? Quo non impellunt hæc ludicra eos, quos deprehenderunt paulo leviores? Eſt mera, ut opinor, larva, nihil niſi ad riſum movendum facta, non philoſophi alicujus certam faciem relatura: atque adeo inferenda numero illarum, quas in paginam Ee & ſequentes duas voluminis primi conjecimus. Itaque ne minima quidem pars colli exponitur, quæ in veris vultibus ſolet adeſſe. Tali ridendo conſpectui ſuppoſitæ literæ vocem ignotam exprimunt, ſive ad opificis nomen deſignandum, ſive ad aliud quid, quod certe non percipimus, ac propterea conjectura incerta maculare metuimus. Nota ſunt ſimilia, quæ hujuſmodi lapillis inciſa deprehenduntur, ΕΥΤΥΧΕΙ, ΕΥΨΥΧΙ. Si appendix aliqua vel comitari Apulejum vel augere gratiam ejus deberet, poſſet ex ſequente apud Licetum figura aſinus palliatus & poſterioribus pedibus inſiſtens ad colloquendum cum duabus puellis huc arceſſi. Sed ſatis riſum.


PLA
PA
PLAVTIA et PAPINIANVS,
propinquitate ſeveri Imp. et iuris-
peritia nobile coniugium.

PAPINIANUS ET PLAUTIA.



DIVISA ſunt rerum omnium incrementa & ab tenuitate quadam augeſcunt in ampliorem molem. Fulv. Urſinus ediderat de hoc illuſtri viro hanc inſcriptionem : *Æmilio . Paulo . Papiniano . Præfecto . prætorio . juriſconſulto . qui . vixit . annos .* XXXVI. *dies .* X. *mens .* III. *Papinianus . Hoſtilius . Eugenia . Gracilii . turbato . ordine . in . ſenio . heu . parentes . fecerunt . filio . optimo* , quia nihil tunc de illo aliud ſupererat. Mox etiam reperta eſt amethyſtus , quæ gemmæ anularis ſpeciem habuit, inſignem duobus capitibus & quinque literis ſculpturam continens , unde producenti hoc juris aſylum (quomodo mireris ſane ſub Cæſare ſcribentem Spartianum audere privato & mox etiam occiſo teſtimonium tale dare , quod in ſolo principe oportebat reſidere) Fabro oportet faveamus , potius quam ut noſcamus cauſam Bellorii inter tot Græcorum juriſconſultos negantis huic Romano locum, quum & hiſtoricos & poetas tot appoſuiſſet. Et cur piguit eum ſequi ſententiam Spartiani adeo laudatam & conſpectam periochen injungendam judicantis vitæ Antonini Caracallæ, cujus velut purpuræ nitore fas mihi erit (quum nihil a quoquam præbeatur rectius) hanc cælaturam illuminare , præſertim quum & muliebris facies inde colorem tractura ſit . *Scio de Papiniani nece multos ita in litteras retuliſſe , ut cædis non ſciverint cauſſam , aliis alia referentibus : ſed ego malui veritatem opinionum edere , quam de tanti viri cæde reticere . Papinianum amiciſſimum fuiſſe Imperatori Severo , & , ut aliqui loquuntur , affinem etiam per ſecundam uxorem , memoriæ traditur : & huic præcipue utrumque filium a Severo commendatum , eumque cum Severo profeſſum ſub Scævola ; & Severo in advocatione fiſci ſucceſſiſſe , atque ad hoc concordiam fratrum Antoninorum foviſſe : egiſſe quin etiam ne occideretur , cum jam de inſidiis ejus Baſſianus quereretur : atque ideo una cum iis qui fautores fuerant Getæ a militibus , non ſolum permittente , verum etiam ſuadente Antonino , occiſum . Multi dicunt Baſſianum , occiſo fratre , illi mandaſſe , ut & in Senatu per ſe & apud populum facinus dilueret : illum autem reſpondiſſe , Non tam facile parricidium excuſari poſſe , quam fieri . Eſt etiam hæc fabella , quod dictare noluerit orationem qua invehendum erat in fratrem , ut cauſſa ejus melior fieret qui occiderat : illum autem negantem reſpondiſſe , Aliud eſt parricidium , accuſare innocentem occiſum . Sed hoc omnino non convenit : nam neque præfectus poterat dictare orationem : & conſtat eum quaſi fautorem Getæ occiſum . Et fertur quidem , Papinianum , cum raptus a militibus ad Palatium traheretur occidendus , prædivinaſſe dicentem , Stultiſſimum fore qui in ſuum ſubrogaretur locum, niſi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret . Quod factum eſt .*


IVLIA PROCLA
Herois

JULIA PROCLA.



IN priore hujus ſæculi parte jam obvius fuit antiquariis nummus hunc conſpicuum ſane vultum exhibens; in averſo autem latere ſedet Apollo, ut Seguinus; ut alii, Sappho; & citharam tangit: diuque non alia ejus inſcriptio fuit quam ΕΠΙ ΣΤΡΑ. ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΜΥΤ. quum modo Vir Amiciſſimus ex altero protulit ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. Nec ullus teneri potuit, quin aliquid conaretur ad producendam hanc heroida Juliam Proclam. Quod quam infeliciter ceſſerit, res ipſa & charta, quam tot vocibus nihil ſolidum ſtatuentibus impleverunt, teſtis eſt. Niſi quod magni referebat, ut ne deeſſet ineptiis ſuſpicionum, tanquam Creperlii Procli poſſet credi filia, qui nec quando vixerit, nec quando conſul aut proconſul fuerit, quidquam adfirmari poteſt. Igitur ex ſolo cognomine & pater naſcitur & filia. Utique erat longe verius tacere. Multo minus ut ipſa tanti ſit, propter quam ab duobus eodem anno Lutetiæ diriperetur inſcriptio Thyatirena per Sponium in Europam delata, qua iſtius oppidi cives Clodium Aurelium Proclum ſalutant heroa; quum & ſuſpicio ſit perinde incerta, & Mytilenæi potuerint honorare eos, quos Thyatirena urbs ne norat quidem. Quanta res eſt ex Clodio Aurelio producere Juliam? Proclos undiquaque legimus circa hæc tempora floruiſſe multiplici proventu, unde etiam ex Lycia Marinus derivat ſuum Platonicum. Et ſane quidem reverentiam meretur judicium Gottifredi de tempore monetæ cuſæ: nec tamen negari poteſt exſtare multos nummos Græcos tempore Decii cuſos tam nitido ænigmate, quam ſunt alii ſub Antoninis facti. Mutatio illa vel magis corruptela nummi urbem Romam manifeſte tetigit, dum interim peregrinarum urbium moneta vel politiſſima eſſe non deſiit. Certe ſub Decio apparet ex infinitis documentis pulcherrimos nummos cuſos in provinciis. Hunc enim principem citare placet, quoniam ejus tempore & nummum iſtum conflatum fuiſſe & Juliam Proclam vixiſſe arbitror; quæ ſtatui debet utramque iſtam appellationem ab parente traxiſſe. Quod niſi res ipſa & vetuſtatis fides doceat, certe nihil ex vero pronunciari poterit, quum iſtud unum ſit hujus notitiæ pignus. Illum autem Julium Proclum indubitabili teſtimonio præbent Acta Pionii Martyris, quæ contigerunt in urbe Smyrna ſub Proconſule Julio Proclo, Gajo Meſſio Quinto Trajano Decio & Grato conſulibus, de quo nomine ex variis codicibus illic retulit doctiſſimus Theod. Ruinartus in præclaro opere, quod Acta Sincera continet.






ANICIVS PROBVS

Praefectus Praetorio ſub Valentiniano, cum uxore *PROBA*

ANICIUS PROBUS ET PROBA.

PECTABILE hoc conjugum par, cui nulla felicitas animi vel corporis defuit, etsi intervallo segnis & corrupti temporis nimium longo divisum sit ab præcedenti; tamen adjungendum putavi, quum vel optimæ Romæ in eo renovetur quoddam specimen, & tanto sit venerabilius, quod jam Christianæ etiam virtutes intraverint. Quantis enim laudibus ubique & consensu pariter omnium extollitur Anicium in ea urbe genus? & ex eo quam conspicua portio fuit hic Probus, nec minus uxor eundem sortita sanguinem Proba? Collecta ea sunt (& sane juvat legere, imo & relegere juvabit) ab viris doctis in Romæ subterraneæ libro II cap. VIII. Propterea hoc agens, ut quæ hic illic sparsa jacent cognita sive incognita, in unum congererem; quum observarem hoc amoris conjugalis concilium illic non sine numine custodiri sarcophago marmoreo & sacris historiis ornato excisum, etiam ipsius Probi corpore ibidem reperto in aureis vestimentis, huc quoque transtuli, ut spero, sine ullo crimine. Discedendum enim jam erat ab Roma fœdum in modum inerti sine ulla memoria prioris gloriæ. Sed nec apud Græcos quidquam supererat, quo illicerer. Itaque ad agmen claudendum & hunc Græcarum Antiquitatum, Romanis, quia excludi non debebant, admixtis, thesaurum obsepiendum hoc sacri operti lapide cujuslibet Termini religionem superante utens precor, ut ad molliorem ingenii bene nati cultum & doctrinæ subsidia ex eo identidem aliquid promi queat.



SACERDOS GERMANVS
portans navigium Isidis

SACERDOS GERMANUS NAVIGER.



ITA quum peregrinationis hujus metas flexerim, liceat reditus patriæque meminiſſe, & ſi non exactam rationem annorum inferre in eas terras, quas naſcens tetigi, nihilominus quacunque antiqui monumenti inſtauratione ſolari oculorum conſuetudinem. Ex quo genere eſt, quod prodidit Tacitus de moribus Germanorum, ſe comperiſſe partem Suevorum Iſidi ſacrificaſſe; quod quum illi videretur mirum, inquirens fruſtra in originem & cauſam deſcribit in eo conſtitiſſe ſolennitatem, quod ipſum ſignum in modum liburnæ figuratum fuerit, unde collegit ipſe advectam religionem eſſe. Non ſecus ac ſi ſtatueret olim contigiſſe idem, quod ex Cornelio Nepote ſcribit Pomponius Mela accidiſſe ſub proconſulatu Q. Metelli Celeris, & ejectos in oram Germaniæ Indos ſive Ægyptios. Cæterum hæc explicare ex memoria rerum, quas de Græcis aut Romanis notas habemus, dubito an ſatisfaciat morum & regionum intervallo. Apud eos notum cultumque fuit navigium Iſidis, de quo laborioſe colliguntur ad illum locum omnia quæ exſtant. Sed ipſum etiam qualecunque oculis exhibuit Laur. Pignorius ex gemma. Sub quo latuiſſe iſtud indigitamentum, quod placuit Tacito, non opinor magis dicturos fuiſſe Germanos, quam Æpyptios, a quibus omnes dæmonas ſolemque non in ſtabili poſitos fuiſſe, quum effingerentur, ad denotandum illum fontem lucis ætheréæ arcanis fluoribus manantem in totius naturæ lumina, ex Marciano Capella & aliis erudite probavit vir in diſciplina doctrinæ unicus Henricus Valeſius. Et cur Lactantius ſcribit navigium Iſidis coli ad docendum non tranaſſe illam, ſed navigaſſe? Itaque ratiocinatio illa potuit tunc in mentem veniſſe Tacito, ſed non etiam, ſi exigeretur ex moribus & ſententia ſui temporis, retinere illic ſedem pro vera. Etiam alibi alia numina navigiis impoſita & legimus & cernimus. Nec dicit tamen Tacitus Germanos Iſidem exiſtimaviſſe a ſe coli; neque de illa Germaniæ regione loquitur, ubi Nehalenniam celebratam monumenta reſidua dictant. Sed illic ipſum navigium pro numine reverebantur. Hoc certum eſt. Ejus vetuſtiſſimæ religionis memoriam renovari judicabam ſtatim in hac notabili imaguncula, quum eam diu ab ignaris dominis ſuppreſſam ac celatam lætarer veniſſe in dominium Politiſſimi Viri Rob. de Neufville, cujus indulgentia quum cælari curaviſſem, in hoc conſpectu ad antiquitatis notitiam poſui. Eſt plane facies effera, & incultam torvitatem præferens, velamentum externum capiti velando, fere omne uſque ad ipſa ſupercilia abſcondens, ita verſus ſiniſtram

tergi partem defcendens , ut illic commodo loco præbeat aliquid fpiffum , cui navicula , cujus longior pars ultra tergum eminet , innititur : veftis apparet longa , fed altecincta ad liberiorem ingreffum , ita ut pofterior pars in humiliore effet , in acumen aliquod definens. In ipfo navigio tria loca funt notata punctis exftantibus five ad certas notas , five quod aliquid ibi fuerit adfixum . Hic igitur eft ille tam celebratus , fi Græce placet , ΙΕΡΟΦΟΡΟΣ, fi Latine , bajulus cærimoniarum , facra ferens non ad Mufas , ut caftus poeta , fed ad horrendum fui luci fecretum , five præfideat ei fæmina (quod Tacitus non affirmat ab Germanis fe audiviffe, fed magis cogitavit) five atrox Mercurius , feu quæcunque alia facri origo eft , quæ facile poteft probabilior dari . Sed fatis.


FACIES BATAVA


FACIES BATAVA.



UIC aliquid singulare adnexum, opinor, absolvet industriam meam. Etenim quod mihi obvenit legenti epigramma lepidum Martialis & auctoris sui ingenio ac famæ conveniens,


Sum figuli lusus, rufi persona Batavi,
Quæ tu derides, hæc timet ora puer,

ut sive ex vero Batavus talem faciem præferret, seu qualem ab Romanis figulis aliorumque opificiorum præstitibus in urbe Roma componi solitam describat poeta; credo etiam cuicunque lectori innasci, ut aspicere & videre cuperet. Quod desiderium diu apud me frustra fovi; donec in hortos pagi Voorburgiani, quibus ab burgo nomen est (nec dubium, quin illic fuerit, clamantibus etiamnum fundamentis, primo ad continendum tuendumque aggerem fossæ Corbulonis, mox ea obruta per illius dissipationem ad munimenta vicini agri inserviens) inductus ab fossore redemi hoc frustum æris, sed & inauratum olim & encausto pictum, ita tamen, ut aliquid rufum vel rubrum undiquaque emineat. In quo meum istud exemplum notabilius est, quia Martiali apprime convenit, quod in aliis non ita concurrit. Frons est modica, oculi grandes, profundi, & toto positu admodum truci, nasus in summo arctus & depressus, in imo latissimus & exstans, inferior pars plane robusta cum barba per artificiosas spiras bene depexa, ut vere virum dicas. Ex eo suspicabar quidem nonnihil: sed ubi juste acquiescerem, subsidium nullum aderat. Donec excurrens Neomagum ad celebrata illa & ambitiosa scrinia, illa lumina antiquitatis, quæ Smetianum nomen facit illustriora, post rejectas statim valvas conjeci oculos in opposita aliquot capita, & contrectans animadverto pari faciei filo omnia elaborata esse,



plane non prout in Antiquitates Neomagenses post pag. 70. relata sunt, ubi certe nihil est quod vel timeat puer, vel rideat pater.

Solum quartum habet aliquas notas huic meo ſimiles . Sed & ſic quum dubitarem de impoſito capitibus orbe , quem neſcio quo referri oportebat , nec pro nodo conſiderare poteram ; denique inter cimelia Viri Florentiſſimi , unde & ſacerdotem præcedentem mutuabar , reperiens hoc inſtrumentum vidi , in quem uſum capita illa confieri ſint ſolita & quemadmodum omnia apta ; quod tamen haud facile dixerim , cui miniſterio inſervierit, libræne inſtar an quid aliud . Sed & quatuor , aut quinque ſimilia capita alibi adſervari cum maxime reſciſco , quæ ubi recte conſiderare potero non omittam notare quidquid erit dignum . Certe quod unum volo , hanc poſt eſſedarios & covinarios gladiatores ex Gallia & Britannia per arma paulatim iſtuc promota deductos , itidem ex Batavorum denique inſula illuc arceſſitam Mombro & larvatam terroris formam ita conabar publice monſtrare .


A
AGAMENON
Græcorum ad Trojam Imperator


Ea quæ ſequuntur, petunt, ut ſuis locis inſerantur.

AGAMEMNON.



MIRABAR in tam multiplici memoria earum rerum, quæ ex belli Trojani naufragiis reliquæ & hinc vetuſtate notabiles partim in ipſa Græcia, partim in coloniis occaſione illius expeditionis conditis ſuperfuiſſe memorantur, tam invidum ætatis dentem fuiſſe in ipſum Regum Regem, ut penitus aboleverit. Tantamne vanitatem fuiſſe antiquorum, ut quum Agamemnonis clypeum & machæram ſervaverint Sicyonii, quod unde teſtatur Ampelius, alii jactaverint platanos manu Agamemnonis inſtitutas, alii fortaſſis aliud; ipſam tanti principis effigiem non alicubi coluerint, nedum ut ſingulæ civitates Græcorum pro genio & vindice communis doloris illum colentes, vultum quoque ejuſdem certatim marmoribus, æri ac ligno inſcripſerint! Certe ſervatam fuiſſe negari nequit, quum & Plinius diſerte notet inter cognitiſſima Parrhaſii documenta fuiſſe Agamemnonem, & ſimilem Polygnoti tabulam exponat Pauſanias Phocicis. Hanc igitur reſtitutum venio ex nummo egregio urbis Creticæ Gortynis, quem cuſtodivit ac publicavit denique Theſaurus Brandeburgicus. Fidem vero hujus faciei peragit ipſe nummus ſeſe confirmans, dum primam literam iſtius nominis vultui ſubjectam pro notoria ſecum adfert; ut Titum Quinctium modo dedimus. An vero in animum nobis venire patiemur cognomina varia Deorum etiam una interdum litera fuiſſe ſignificata? ut adeo mens vel primis harum literarum initiis tincta vel Arbium vel Aſium vel Alyſium (ex Meurſii ſcilicet Creta petitos omnes; vide modo & verum dices) Jovem hic cogitet. Ipſa barba neſcio qui alia eſt, quam Jovi affingunt. Itaque agnoſce hic illum Agamemnonem, quem ex Pauſania dicebam ab Polygnoto pictum cum Antilocho, Proteſilao, Achille, Patroclo: & quæ inter illos differentia? Nempe ΟΥΤΟΙ ΠΛΗΝ ΤΟΥ ΑΓΑΜΕΜΝΟΝΟΣ ΟΥΚ ΕΧΟΥΣΙ ΓΕΝΕΙΑ ΟΙ ΑΛΛΟΙ. *Illi alii præter Agamemnonem non habent barbas.* Jam vero magna memoria Agamemnonis in Creta paſſim dicta, ſed præcipua in Vellejo, cujus verba, ſatis quidem nota & ſæpius allegata, tamen omittere non libeat: *Rex regum Agamemnon tempeſtate in Cretam inſulam rejectus, tres ibi urbes ſtatuit, duas a patriæ nomine, unam a victoriæ memoria Mycenas, Tegeam, Pergamum,* Quid opus eſt loqui de Pallade in averſo nummo, quum ea ſemper Agamemnoni adfuerit?





ERYX
in Sicilia luctator insignis.


E R Y X.

ELLI Trojani reliquiis immiſcetur quoque hic ex Sicilia Eryx. Quamvis enim in ætatem Herculis ille inciderit, quæ ſola fortiſſimi hominis fuit infelicitas, & ab ſcriptoribus Argonautica narrantibus memoretur; tamen divinum poema & frater Æneas in Latinum orbem præcipue & ipſum & Venerem Erycinam intulit. Illum igitur hoc geſtu exiſtimant in Theſauro Palatino deprehenſum. Atque utinam vere! Id putant colligi ex corio bubulo, quod manui circumvolutum dixerint antiqui cæſtum, inde ita colligentes, quod non addatur haſtile. Quod ſatis mireris, licet ab duobus Theſauri Brandeburgici ſyncellis confirmatum velint. Nam in gradu poſitus videtur plane ad pugnandum aut jaculandum, non vero luctandum, ut colligitur ex illis ipſis, qui in averſo latere ad id concipiuntur capita conferre, & in nummis Laodicenis ſimiles ponuntur. Et quomodo intelligitur ille cæſtus? duabuſne manibus tenetur præter occiput præductus, an una? alterum cur fieret ignoro; poſterius non opinor poſſe. Quid dicemus? In Paruta & Goltzio fingitur pro eo Hercules ſagittans: & hinc manus altera ſimiliter protenſa, altera reducta, ſed non item elevata: ipſa ſagitta ſic ante pectus projicitur, ſed non tam alte: ut hinc ſi nummos inſpiceres, forſan idem ænigma crederes. Sed & in averſa area, quum in omnibus ſic flectantur corpora, manus demiſſæ quodammodo implicentur, hactenus eandem monetam credas. Verum id apparet fieri in aliis ad



ſaccum aperiendum, qui ſub eis poſitus adſtat; hinc calide ſatis petitur ſtatim emblema emporii Segeſtanorum Ptolemæo memorati, tanquam aperiendo ſacco unus non ſufficiat, & ſemper in ſocietate ſint mercatores, & quidem nudi. Itaque ut Herculem aliis indulgeo, ita hunc Palatinum nummum exoſculor inſtaurantem memoriam ipſius Polyphemi, præter montana ſaxa inſtructi etiam ligno inſtar clavæ, viridi, & ut Homerus libro x Odyſſ. vocat ΧΛΩΡΩ, ut oſtendat fuiſſe inconditum, non levigatum, ſed prout naſcitur, hic illic inflexum; unde & partem inde reciſam Ulyſſes juſſit ΑΠΟΞΥΝΑΙ & ΟΜΑΛΟΝ ΠΟΙΗΣΑΙ, ut manifeſte intelligas aut

nodos exſtitiſſe vel inæqualitates, unde ad corium alii deveniunt. In altera area videmus utrem, ut vocat Auſonius, vel follem, ut Higinus, interpretantes Homericum ΑΣΚΟΝ, quem ſocii dormientis Ulyſſis credentes aurum eſſe, quum ventos illic incluſiſſet Æolus, laxantes vincula aperienteſque emiſerunt inde ventos, unde in tantos errores ac pericula dejecti fuerunt. Hanc ob cauſam ut ante oculos haberes diſcrimina, averſas areas Palatini ſimul & Parutæ nummi interponi curavi. Polyphemum vero opiner in nummo magis hirſutum apparere, quam in ectypo, ut hinc nihil obſtare exiſtimes.



NVMA POMPILIVS


Numa Pompilius Vrbem Romam a Romulo vi et armis
conditam, legibus, ac pietate munivit

In numismate argenteo ex Thesauro Christinæ Reginæ Aug

NUMA POMPILIUS.



ETSI huic libro eadem cura propoſita fuerit erga Reges, quæ Virgilio erga ingentia rura; nec niſi eos qui conducendo populos in unum vere ſalubres humanis ſocietatibus fuerunt, coluerit; tamen quum & Romam nimis imperfectam poſuerit Romulus, & nihil ab ejus ferocia boni potuerit ſperari, niſi mitigata fuiſſet per Numam, prorſus alter iſte conditor etiam non fuerat negligendus. Immo nec Egeria conſpici ſuperius potuerat, niſi maritus hic ejus illam celebraviſſet. Sed & ipſius Numæ refert faciem cognoſſe, quippe qui & tempore ferme æqualis Romulo, & natalem ſortitus terram vicinam illi, unde Romulum accepimus, & vulgo aut crediderunt imperite, aut temere tradiderunt, quum prorſus ignorarent, ipſa capitis colendi ac menti differentia demonſtrabit omnino Romulum fuiſſe alienigenam. Equidem Fulv. Urſinum & Patinum animadverti in gente Calpurnia in nummo Cn. Piſonis Pro Q. ſimiliter torquere hujus Numæ barbam in diverſas diſtinctaſque ſpiras & velut cincinnos, quaſi voluiſſent eum Romulo quam maxime ſimilem reddere. Sed id exemplum video nulli ſequentium placuiſſe omnibus vel ex gemma vel aliunde producentibus barbam ſine ulla arte dependentem, qui tunc apud Sabinos & in vicino Latio mos fuit: quippe rex jam erat Numa & in Latium tranſgreſſus, ut colligi debet ex diademate. Hunc igitur in hoc Camœnarum luco rurſus amplectatur Egeria, ut inſpiratam ſapientia omni ac temperatam virtutibus mentem ex vultu nunc agnoſcat quicunque ſpectator, talemque ſciat fuiſſe, qui cives perpetua militia efferatos jure legibuſque & moribus adſuefacere potuit, ita tamen ut non luxuriarentur otio.


SINDVS ARMATVS
ad Flagellum domini pavescens

SINDORUM ORIGINIS MEMORIA.



NON procul ab hujus ætate geſtam in ſeptentrione rem & ubique narratam commodum erit hic annectere : ſed cujus contemplatio nos quidem procul & quam longiſſime deducit ab vulgata antiquitatis explicandæ ſtudioſorum hominum doctrina . Eſt ad hæc uſque tempora conſervatus gentis Didiæ nummus & beneficio Fulvii Urſini publicatus , etiam velut nulla dubitatio explanationem iſtam comitari poſſet , ita commentantis: *Centurio vero , qui vite militem cædens in altera parte primi denarii impreſſus eſt , aliquam fortaſſe Didii animadverſionem in exercitum male obtemperantem indicat*. Itaque hinc pullulat magna eruditio & copia exemplorum de Romano centurione vitibus uſo in caſtris , non ceſſura Lipſianæ in iſta materia , ut Caſaubonus & Salmaſius ad Spartiani Hadrianum ſcribant nimis de vite collectum eſſe . Et ſane non percipio , qualem hic vitem, qualem militem Romanum intellexerit in hoc nummo doctiſſimus Urſinus . An centurioni vitem intentanti miles minabitur ſcuto & gladio , & hoc quidem evaginato ? Apage iſtam diſciplinam! Nullo genere melius conſideravit vitem , lentam ſcilicet illam & flexibilem & bifidam , immo velut ſarmenticiam partem , quæ fieri non poterat , quin mox frangi deberet in primo ictu ; quum illa dicatur nodoſa , dextra adornare latus pro baculo ſcilicet . Ante omnia qualem vidit Urſinus centurionem ? cujus profecto nulla , ne minima quidem apparet nota . Nihilominus annis centum poſt Urſinum in Didia gente centurionem militem vite cædentem vident monſtrantque Diſſertationes magni impetus . Alia profecto omnia hic apparent . Recte eum nummum refert Urſinus ad eum , qui anno urbis DCLV conſul fuit , & anno DCXXXIX prætor cum Thracibus & Scordiſcis bellavit aliiſque ad Hebrum Pontumque gentibus , quas intra Thraciam repulit , ut diſerte ſcribit Florus , quo minus ſuſpicari in eo oportebat de animadverſione in exercitum , quem egregie ſe geſſiſſe hinc patet . His in locis celebratiſſima erat Sindorum Scythica propago , cui occaſionem dedit tertia Scytharum in Aſiam ſub Medico imperio expeditio , qui *quum annis octo a conjugibus & liberis abſuiſſent , ſervili bello domi excipiuntur . Quippe* , ut *Juſtini verbis reliqua huc convenientiſſima enarrem* , *conjuges eorum longa exſpectatione virorum feſſæ , nec jam teneri bello , ſed deletos ratæ , ſervis ad cuſtodiam pecorum relictis nubunt , qui reverſos cum victoria dominos , velut advenas , armati finibus probibent . Quibus cum varia victoria fuiſſet , admonentur Scythæ mutare genus pugnæ , memores non cum hoſtibus , ſed cum ſervis præliandum ; nec armorum , ſed dominorum jure* vin-

vincendos : verbera in aciem , non arma adferenda , omissoque ferro , virgas ac flagella , cæteraque servilis metus paranda instrumenta . Probato omnes consilio , instructi sicut præceptum erat , postquam ad hostem accessere , inopinantibus verbera intentant : adeoque perculerunt , ut quos ferro non poterant , metu verberum vincerent ; fugamque non ut hostes victi , sed ut fugitivi servi capesserent . Habes verum flagelli conspectum : habes dominum servumque eodem modo vestitum instructumque : habes servum cum nudo gladio sidentem ad verbera flagellorum & adductum sub ense vides torpere ensem , ut de ea re dicit Claudianus . Utque Herodotum & Polyænum omittam , habes quod scribit Latinus Pacatus in panegyrico huc alludens : *Nam si olim domini adversum rebelles servos dimicaturi flagra in aciem detulerunt , tantaque vis conscientiæ fuit , ut ab intermibus vincerentur armati , & qui obtulerant mortibus pectora , darent terga verberibus .* Sic igitur

Degeneresque ruunt Sindi , glomerantque paterno
Crimine nunc etiam metuentes verbera turmas ,

ut de eis canit Valerius Flaccus . Cum quorum vel subole aliqua vel vicinia quum bellavisset egregie hic Didius , inde gloriam suæ familiæ merito petivit ejus posteritas , aut ipse hanc monetam signari curavit . Hanc interpretationem cum ex patre didicissem , ita notare placuit .





A
B
ABARIS
Hyperboreus Scytha

ABARIS HYPERBOREUS.



NON tacitam habuere rem Græci duos ad ſe veniſſe ex ſeptentrione , quem ita oppreſſum omni truculentia ſtatuebant , ut nihil videretur æque barbarum , velut teſtimonium daturos non omnibus deſtitutam illam cæli plagam eſſe . Quorum qui poſterior venit Anacharſis , ſicut tempore politiore & magis compoſito , ſic plura & certiora ſui reliquit veſtigia , eumque ſuo tempori ac loco exhibuimus . Prior fuit Abaris , & quoniam adventus ejus inciderat in principia fere certorum annalium , hinc non diſſenſus tantum in eo fuit , ſed perinde ac ſi medias fabuloſæ ætatis tenebras perambulaviſſet , & Dii & ſagittæ ab illis datæ perque aerem volantes aliaque lepida velut ad nutricum cunas commenta admiſceri debuerunt . Fuit tamen Abaris & inter Græcos etiam quidem exſtitit ΥΜΝΟΥΜΕΝΟΣ, ut fatetur Euſtathius . Et quid mirum ? quippe quum & legatus publico patriæ nomine illuc & ſingulatim Athenas venerit , & quidem compellente gravi ſidere , quod terras omnes genteſque afflarat non procul ab Olympiadum initio . Hæc & alia ſervata de eo ſunt ab Harpocratione, Suida , aliiſque, ſed primam mentionem auſo ipſo Herodoto , quum Suidas etiam indices operum , quæ ab ipſo elaborata vel eſſent vel traderentur , ſi credis , ſervaverit . Sed quam grata fuit ejus mentio Jamblicho plurima & multis locis quædam ad eum pertinentia narranti , ita ut æqualem Pythagoræ ex ejus ſententia ſupponi oportuerit , unde etiam tetigit Porphyrius in ejuſdem Pythagoræ vita , ac præcipue , ut denique ΑΙΘΡΟΒΑΤΗΣ cognominatus Græce fuerit . Quis dubitet igitur hominis adeo celebrati vultum quoque non paſſos fuiſſe Græcos intercidere , prout horum ſtudioſa ſemper & forſan ultra modum gens fuit ? Sed eum a nobis inſtaurari poſſe ultra fidem ac ſpem quantumlibet improbam foret , niſi ipſa antiquitas ſubveniret eumque oſtenderet . Id quod ego opinabar fieri in achate nigro , quem edidit Leon. Auguſtinus philoſophum in eo ſedere ſuſpicatus adducta etiam monſtratione cathedrarum mox & exedrarum in balneis . Valeant iſta . Lapis quum ipſe ſecum circumferat A B , quid niſi Abarin hunc indice liquidiſſimo monſtrat ? Hinc ex iſto auguſto ultra boream ſolo oriundum crede ſpectari ſedentem nudum ex more patriæ , ubi non bella novere , non jurgia , etiam nudipedalia celebrantem , etſi Lucianus in Philopſeude norit iſtum Hyperboreum carbatinis indutum .


EMPEDOCLES
Philoſophus, Agrigentinus.

EMPEDOCLES.




SED nec divini hujus viri ultra abſcondendus conſpectus, perinde magna ambitione optandus, quam olim varii cupiverunt ejus inſcribi magiſtri. Quam enim aliam tantæ diverſitatis in hac parte originem repetemus, ut ab his per Parmeniden, ab aliis Pythagoran, item Xenophanen aut Anaxagoran dicatur productus fuiſſe, niſi quod ſingulorum æmuli coacti agnoſcere ingentem viri doctrinam & inde gloriam deſideraverint certatim eum in ſuam cohortem recipere? At ille ut honeſto loco, quem & Olympica victoria nobilitaverat, natus, nec minorem ingenii proſperitatem nactus, egregie varietatem ſtudiorum permenſus, non dubitavit quidem periclitari & hymnos & rhetorica & hiſtorica & tragica; ſed vicerunt philoſophica, & per ea potiſſimum ad poſteros claritudinem ſuam continuavit Empedocles phyſicus & poeta & civis bonus. Sed multa fuit antiquitas in enarrandis Empedocleis, & tum Diogenes Laertius bene magnam partem in unum congeſſit, tum plurimi non omiſerunt infinitis locis aliquid Empedocleum inſtar emblematis inſerere: adeo ut ſi ullus quilibet ſtatua coli meruit, hujus certe gloria etiam per religioſam ſervandi vultus curam propagari debuerit. Qui quum penitus evanuiſſet, non ut Tullius ad repetendum Archimeden ſepulchreta Siciliæ percenſui, ſed quæ fomenta & remedia calamitatis publicæ relicta nobis ſunt, adhibui Parutæ divitias contemplatus. Ubi quum notabilis proceritas viri graviſſimi oculos meos adverteret, tum obnubilabar ab ipſo Paruta tanquam detrectante beneficium integrum præbere neſcio quibus linearum formis indecore in averſam nummi aream conjectis, ut ſic fides affirmationis aboleretur. Quas poſtquam ex ipſius nummi exemplari




bona fide Græcas eſſe comperi & enunciare vocem ΣΟΦΟΣ (literis quidem his eiſdem, niſi quod media haberet ſingularem ductum, ita tamen, ut ſatis conſtet eſſe prorſus literam Φ; imo ut & quicunque ſpectet oculis ſuis, iſtam aream ex nummo appoſui) ipſe conſpexi; nulla calumnia me avertere potuit, quin

Empedoclem ſic adſpiciendum darem , dignum , cujus faciem ſacra moneta Agrigentini dedicatam animis omnium hominum velut templis reponerent ; digniſſimum , quem iſto titulo reſplendentem non in Sicilia tantum , ſed univerſo terrarum orbe circumveherent.




CHARONDAS
legislator Catinenſium creditus

CHARONDAS.



NEQUE enim præter illum, quem timida fide ex ſententia tamen nonnullorum interpretum jam poſuimus, piget hanc quoque faciem, ſimiliter ambiguam, apponere, ex arbitratu quorundam: hæc namque & nulla alia juſta ad hanc rem habeo. Id quidem certum eſt non omnes thyrſigeros eſſe utique Bacchos. Græci hoc omnes & Siculi quoque ſic confeſſi ſunt, ut inde proverbio etiam id diſcrimen commendaverint. Hinc nec ubi apparent cornua, utique aut de Jove Hammone, aut de potentiæ ſymbolo cogitandum. Itaque aliunde clamor factus repetituſque eſt, ut cogitaretur de Sileno: hunc quippe in monumentis hujuſmodi nunc cornutum fingi, nonnunquam ſine illis. Sed certe multis partibus plura obſerves, quæ caput liberum nec hujuſmodi offendiculis prominens ei affingunt, ut illa inter ſe comparari vix poſſint. Porro etiam non ubi ſolum Cereri ac Bacco bonum eſt, ibi ſtatim Silenus colitur. Potuit in Sicilia & circa Catanam fuiſſe aliquis Sileno Bacchico non minus ſimilis, quam iſte in Græcia Socrates. Potuit inter obſcura & nobis ignorata narrationum apud Catanenſes, ex Siciliæ more proclives ad mirabilium memoriarum commenta, traditum fuiſſe alicujus ſimile fatum, ac Romani de Genucio Cipo retulerunt cornua etiam ſubita admirante. In hoc autem vultu licet cornua cum ſimo naſo & calva fronte habeant aliquid Sileno affictum; tamen videtur ille ſeverior eſſe quam Sileno manus fabriles permiſerunt, ſemper aliquid palam ridiculum & ſannantis inſtar in eo ſignantes. Propterea ut Charondam ita aſpici nullus dixero; ſic curvatura inuſitata cornuum ver in hoc capite vel in altero apud Parutam quoque in nummis Catanenſium facile conſideranti ſubjicit varia, de quibus nunc conſtituere & cenſere non libet. Tu modo conſidera, quæ multa in hac inſula credantur viris doctiſſimis ab flexu & torquendo accepiſſe appellationem: aut ut veniam propius memento, quid de Encelado cogitaverit & ſcripſerit venerandæ doctrinæ ac memoriæ Bochartus.


ΠΥΘΕΟΣ
PYTHEVS
Poeta Colophonius
Ex Fulvii Ursini Bibliotheca.

PYTHEUS.



SED & huic caligini libeat tentare, an aliquid luminis inferri nunc poſſit. Magna enim certe illa eſt, quæ hunc Pytheum in nummis bene cognitum circumvenit. Non tantum fragmenta ex eo nulla creduntur exſtare, ſed ne inſcriptiones quidem vigiliarum ejus adducuntur. Quin nec nomen ipſum laudari fertur alicubi. Et quanquam in pulvino ac ſella tam ſolida collocatus adſpiciatur in hac moneta, chartæ tamen aut membranæ aut marmora ulla eum recepiſſe non leguntur. Quid igitur? Joan. Faber tamen ac Bellorius conſenſu ſtatuunt poetam Colophonium (eſt enim urbis hujus nummus fuitque penes Fulv. Urſinum) & quidem prior poetam egregium, alter celebrem vocant, quum dotis ejus in tantum promotæ nec volam nec veſtigium vel ipſi viderint, vel alicunde perceperint. Et cur utique poeta? an quoniam in poſtica parte cum muſico inſtrumento Muſa impreſſa cernitur, eo ſignificare voluerunt Colophonii hunc civem ſuum fuiſſe poetam talem? Non Pomponii, quorum nomiſmata etiam ab tergo Muſam ferunt, ideo dicuntur ſuam poeticen jactare voluiſſe, eamque cum tali ſucceſſu factam, ut omnes poetæ eſſent. Nihilominus in regionibus Aſiæ minoris vel illud ipſum vel perquam ſimile nomen obtinuit, ut probat illius divitis hominis hiſtoria, qui Xerxis copias ſcribitur excepiſſe convivio, & a nonnullis dicitur Pythius, ab aliis ΠΥΘΗΣ, ac Plinio Bithynum prodente alii Lydum ſtatuunt. Etiam Polyænus VIII, 35 meminit ΠΥΘΟΥ Mileſii, etiam ΧΑΡΩΝ Ο ΠΥΘΕΩ citatur ab Pauſania. Illud idem vocabulum poſſet huic ſeſſori noſtro impoſitum fuiſſe & leniter detortum quamcunque per cauſam, ut certe vir conſpicuus ex ſtudiorum cujuſcunque generis excellentia vixerit. Cæterum hoc ipſo anno iſte Pytheus declaratur certius quum & ex Regia Galliæ gaza indicatur nummus ſimili & geſtu & nomine, verum in averſo latere Apollo ſit, non Muſa: tum alius nummus cum literis ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΥΘΕΟΣ. Hinc rejicitur inde poeta Pytheus, quoniam qui illius e veteribus meminerit nullus adducitur index vel auctor. An vero ad id obligabantur? Faber ac Bellorius tanti putarunt auctoritatem nomiſmatis, ut libris eam confirmandam non conſerent. Poetam collegerunt ex appoſita Muſa non recte, quum Muſa pertineat ad quaſcunque doctrinas. Pytheum exſtitiſſe virum ineptos judicarunt fore, qui negarent. Et cur adduceretur auctor vel index ejus, quum libri in quibus forſan nomen id legerunt, pateant omnibus? neque qui aliquo eruditionis lepore cenſeri vult, ita debebat id negare. Tria loca vel dicam teſtimonia ſunt nota & certa apud Vitruvium I, I. *De veteribus architectis, Pythius, qui Prienæ ædem Minervæ nobiliter eſt archite-*

ctatus , *ait in ſuis commentariis* . IV , 3. *Negavit Tarcheſius* , *item Pitheus*, *non minus Hermogenes*. Præfat. lib. VII. *Edidit volumen de Mauſoleo Satyrus & Phyteus* . Sic quidem editur. Verum ad hæc poſtrema notat ex Philandro Laetius (*lib.* IV. *cap.* 3. *Pytheum dicit*) Et ſane nuper illic ita eſt editum in Gallico Vitruvio . Tu igitur crede Pytheum hunc , vel ſi fuerit is ipſe Architectus , non fuiſſe agrammaton , nec amuſon , quod in hujus artis profeſſore requirebat Vitruvius , laudator ejus & cognitor commentariorum talis viri .

INDEX RERUM
NOTABILIUM.

INDEX RERUM


vultus


NOTABILIUM.

C. Po-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

F I N I S.


A2589


SPECIAL
OVERSIZE
N
5610
G87
V.3
82-B
1304
GETTY CENTER LIBRARY

